


UNIV. OF  
TORONTO  
LIBRARY







PRICE 6<sup>d</sup>. NET.

THE  
HUNDRED  
BEST POEMS  
(LYRICAL)



in the  
Latin  
Language

GLASGOW,  
GOWANS & GRAY LTD

LONDON.  
BRIMLEY JOHNSON & INCE, LTD

1905



THE HUNDRED BEST POEMS

(LYRICAL)

IN THE LATIN LANGUAGE

*First Edition, Oct., 1905. Reprinted (with corrections on pp. xviii and 96), May, 1906.*



LC  
1153h

THE  
HUNDRED BEST POEMS

(LYRICAL)

IN THE LATIN LANGUAGE

Selected by  
J. W. MACKAIL, M.A., LL.D.

*Professor of Poetry in the University of Oxford*

83734  
24/9/07

GOWANS & GRAY, LTD.  
35 LEICESTER SQUARE, LONDON, W.C.  
58 CADOGAN STREET, GLASGOW.

1906



## PREFACE.

A SELECTION of the hundred best Latin Lyrics is a book the contents of which must vary largely, not only according to individual taste, but according to the limits within which the poems are chosen, and the range which the term lyrical poetry is taken to cover. It will be sufficient here to explain in a few words the choice made in the following pages.

The pieces have been taken wholly from ancient or classical Latin. The mediæval lyrics, though written at a time when Latin was still a living language, are thus excluded, together with many others by authors of the earlier and later Renaissance whose work is as genuine and as beautiful as that of the classical decadence. But the classical period has been extended to admit a few examples of poems which really belong to the beginning of the

Middle Ages. The scope of the selection excludes the whole body of Christian poetry which begins with the hymns of St. Ambrose. But one piece by Prudentius is included, interesting both from its own simple grace, and as being, perhaps, the only passage in that copious author's work written without any express religious allusion, and in the ancient classical manner. The African school of the fourth century which did so much to transform the ancient language is represented by Tiberianus, and probably by the unknown writer of the *Eve of St. Venus*. Some of the lyrics from Boethius' *Consolation of Philosophy* find a natural place among the products of a literary culture which remained an inheritance of the Anician house long after it had died out of the surrounding world.

It has been the fate of Latin lyric poetry to be represented to modern times, broadly speaking, by the work of only two poets, Catullus and Horace. Any lyric anthology must draw upon them for its main contents; and, indeed, it might be plausibly argued that "The Hundred Best Lyrical Poems" would rule out any work but theirs, for there is a

sense in which all their poems would have to be included before room were made for those of others. Even in a more widely representative selection, it will surprise no one to find that Horace contributes half of the hundred poems, and Catullus, from his slenderer volume, half of the remainder. The definition of a lyric may reasonably be extended to cover the passages taken from Virgil's *Eclogues*, in which the idyllic manner rises to a higher tension and possesses at least one of the notes of the lyric proper. The same claim may be made for the beautiful piece by Statius, in which he perhaps came nearer his master's touch than he did in his scholarly and rather tedious epics. Similarly, the little elegiac pieces given from Seneca, Petronius, Claudian, and Pentadius, though under a strict classification they would count as epigrams, have, like many of the Greek epigrams in the *Anthology*, something of a lyrical quality.

A word may be added as regards text and spelling. The text is founded chiefly on that of the standard modern editions, for deviations from which the Editor must be held responsible. In

the case of the *Pervigilium Veneris* a wholly rearranged and largely altered text has been printed. As this is not a critical edition, it does not indicate readings which are restorations or conjectures. Scholars will not require any such indications, and to ordinary readers they would be a mere incumbrance.

There is as yet no universally recognised system of Latin spelling. That adopted here is meant to combine as much as possible of the three standards, authority, uniformity, and convenience. These standards are often conflicting. From one age to another the recognised system of spelling did not remain uniform, and even at the best period, there was much variety of individual choice or caprice. A working compromise is all that can be arrived at for general use.

One point in spelling is, however, so prominent as to demand a special note. In the titles, the names of authors in the genitive case are printed *Vergilii, Statii, Prudentii*, not *Vergili, Stati, Prudenti*. There is, of course, no doubt that *Vergili* and *Horati* were the forms ordinarily used in the best

period. It is equally certain that the form in *-ii* almost wholly replaced that in *-i* during the first century of the Empire. At the risk, as he tells me, of being affectedly archaic, the accomplished Editor of the new *Corpus Poetarum Latinorum* determined, in the interest of a uniform and settled practice, to print the earlier form throughout. At the risk of being old-fashioned, I have, in the same interest, chosen the later. But it may be observed, in support of this choice, that the remarkable researches of Professor Zielinski seem to prove that, even in the Ciceronian age and in Cicero's own practice, both spellings were well established.

J. W. M.





# INDEX CARMINUM.

## DE AMORE

1. Catulli, *Carm.* v.
2. Catulli, *Carm.* li.
3. Catulli, *Carm.* lxii.
4. Catulli, *Carm.* lxxxvii.
5. Catulli, *Carm.* vii.
6. Catulli, *Carm.* xcii.
7. Catulli, *Carm.* cix.
8. Petronii, in *Anth. Lat.* xcix.
9. Horatii, *Od.* I. v.
10. Catulli, *Carm.* lxx.
11. Pentadii, in *Anth. Lat.* ccccxxv.
12. Horatii, *Od.* II. viii.
13. Vergilii, *Bucol.* viii., vv. 17-61.
14. Catulli, *Carm.* lxxii.
15. Catulli, *Carm.* lxxxv.
16. Catulli, *Carm.* lxxiii.
17. Catulli, *Carm.* lxxv.
18. Catulli, *Carm.* xi.
19. Catulli, *Carm.* lxxvi.
20. Vergilii, *Bucol.* viii., vv. 64-109.
21. Vergilii, *Bucol.* x., vv. 9-69.
22. Horatii, *Od.* IV. xi.

## DE TERMINO AMORIS.

23. Horatii, *Od.* III. xxvi.  
 24. Prudentii, *Cathem.*, *Praef.*, vv. 1-27.  
 25. Vergilii, *Bucol.* II., vv. 6-72.

## DE CONUBIO.

26. Catulli, *Carm.* lxiv., vv. 323-381.  
 27. Catulli, *Carm.* lxi., *omissis* vv. 111-155.

## DE RELIGIONE.

28. Horatii, *Od.* III. xxii.  
 29. Horatii, *Od.* I. xxx.  
 30. Incerti Auctoris, *Pervigilium Veneris.*  
 31. Vergilii, *Bucol.* IV., vv. 4-63.  
 32. Catulli, *Carm.* xxxiv.  
 33. Horatii, *Od.* I. xxxi.  
 34. Horatii, *Carmen seculare.*

## DE REPUBLICA.

35. Horatii, *Od.* II. i.  
 36. Horatii, *Od.* II. xv.  
 37. Horatii, *Od.* III. ii.  
 38. Horatii, *Od.* III. iii.  
 39. Horatii, *Od.* III. v.  
 40. Horatii, *Od.* IV. iv.

## DE PROVIDENTIA.

41. Boethii, *De consolatione philosophiae*, I. v.  
 42. Horatii, *Od.* III. xxiii.  
 43. Boethii, *De consolatione philosophiae*, III. ix.

## DE VITA RUSTICA.

44. Senecae, *Herc. Fur.*, vv. 125-158.  
 45. Horatii, *Od.* III. viii.  
 46. Horatii, *Od.* III. xxviii.  
 47. Horatii, *Od.* I. xx.  
 48. Horatii, *Od.* III. xiii.  
 49. Horatii, *Od.* I. xvii.  
 50. Incerti Auctoris (pseudo-Vergilii) *Priap.* ii.,  
 vv. 1-17.  
 51. Horatii, *Od.* III. xviii.  
 52. Incerti Auctoris (pseudo-Vergilii) *Priap.* iii.  
 53. Horatii, *Od.* III. xxi.  
 54. Horatii, *Od.* I., xxii.  
 55. Tiberiani, *Fragm.* i.  
 56. Vergilii, *Bucol.* V., vv. 20-44.  
 57. Claudiani, *De sene Veronensi.*  
 58. Horatii, *Od.* I. xxxviii.  
 59. Horatii, *Od.* II. xi.

## DE PEREGRINATIONE.

60. Catulli, *Carm.* xlvi.  
 61. Horatii, *Od.* IV. xii.

62. Incerti Auctoris, *Celeuma*.

63. Horatii, *Od.* III. xxvii.

#### DE IOCIS.

64. Horatii, *Od.* I. xxiii.

65. Horatii, *Od.* III. vii.

66. Horatii, *Od.* III. ix.

67. Catulli, *Carm.* xvii.

68. Horatii, *Od.* II. iv

#### DE DESIDERIO.

69. Catulli, *Carm.* iv.

70. Horatii, *Od.* I. iv.

71. Horatii, *Od.* IV. vii.

72. Horatii, *Od.* II. ix.

73. Horatii, *Od.* II. iii.

74. Horatii, *Od.* I. xxiv.

75. Catulli, *Carm.* lxxv.

76. Catulli, *Carm.* iii.

77. Statii, *Silv.* V. iv.

78. Catulli, *Carm.* xxxi.

79. Senecae, *Troas*, vv. 372-382, 389-402, 405-409.

80. Catulli, *Carm.* ci.

#### DE ITINERIBUS.

81. Horatii, *Od.* I. iii.

82. Senecae, *Medea*, vv. 301-320, 329-339, 364-379.

83. Horatii, *Od.* I. vii

## DE VITA DIRIGENDA.

84. Horatii, *Od.* I. ix.  
 85. Horatii, *Od.* III. xvii.  
 86. Boethii, *De consolatione philosophiae*, III. xii.,  
 vv. 1-9, 14-28, 40-58.  
 87. Horatii, *Od.* I. xi.  
 88. Horatii, *Od.* II. xii.  
 - 89. Senecae, *Thyestes*, vv. 345-353, 366-369,  
 392-404.

## DE MORTALITATE.

90. Horatii, *Od.* II. vi.  
 91. Horatii, *Od.* II. xiii.  
 92. Horatii, *Od.* II. x.  
 93. Horatii, *Od.* II. xiv.  
 94. Horatii, *Od.* II. xvi.

## DE SORTE HUMANA.

95. Horatii, *Od.* IV. ix.  
 96. Boethii, *De consolatione philosophiae*, II. iii.  
 97. Horatii, *Od.* III. i.  
 98. Horatii, *Od.* III. xxix.

## DE SUMMA RERUM.

99. Boethii, *De consolatione philosophiae*, II. viii.  
 - 100. Senecae, *De qualitate temporis*.

# INDEX POETARUM.

## ANONYMI.

	PAGINA
<i>Celeuma</i> , - - - - -	68
<i>Ego haec, ego arte</i> , - - - - -	59
<i>Hunc ego, o iuvenes</i> , - - - - -	60
<i>Pervigilium Veneris</i> , - - - - -	30

## BOETHII.

<i>De consolatione philosophiae</i> , I. v., -	51
<i>De consolatione philosophiae</i> , II. iii.,	100
<i>De consolatione philosophiae</i> , II. viii.,	104
<i>De consolatione philosophiae</i> , III. ix.,	53
<i>De consolatione philosophiae</i> , III. xii.,	89

## CATULLI.

<i>Carm. iii.</i> , - - - - -	81
<i>Carm. iv.</i> , - - - - -	75
<i>Carm. v.</i> , - - - - -	1
<i>Carm. vii.</i> , - - - - -	5
<i>Carm. xi.</i> , - - - - -	11
<i>Carm. xvii.</i> , - - - - -	73
<i>Carm. xxxi.</i> , - - - - -	82
<i>Carm. xxxiv.</i> , - - - - -	37
<i>Carm. xlvi.</i> , - - - - -	66

## CATULLI.

PAGINA

<i>Carm.</i> li.,	-	-	-	-	-	1
<i>Carm.</i> lxi., <i>omissis</i> vv. 111-155,	-	-	-	-	-	23
<i>Carm.</i> lxii., vv. 48-56,	-	-	-	-	-	2
<i>Carm.</i> lxiv., vv. 323-381,	-	-	-	-	-	21
<i>Carm.</i> lxx.,	-	-	-	-	-	80
<i>Carm.</i> lxx.,	-	-	-	-	-	7
<i>Carm.</i> lxxii.,	-	-	-	-	-	10
<i>Carm.</i> lxxiii.,	-	-	-	-	-	10
<i>Carm.</i> lxxv.,	-	-	-	-	-	10
<i>Carm.</i> lxxvi.,	-	-	-	-	-	11
<i>Carm.</i> lxxxv.,	-	-	-	-	-	10
<i>Carm.</i> lxxxvii.,	-	-	-	-	-	4
<i>Carm.</i> xcii.,	-	-	-	-	-	5
<i>Carm.</i> ci.,	-	-	-	-	-	83
<i>Carm.</i> cix.,	-	-	-	-	-	5

## CLAUDIANI.

<i>De sene Veronensi,</i>	-	-	-	-	-	64
---------------------------	---	---	---	---	---	----

## HORATII.

<i>Od.</i> I. iii.,	-	-	-	-	-	84
<i>Od.</i> I. iv.,	-	-	-	-	-	76
<i>Od.</i> I. v.,	-	-	-	-	-	6
<i>Od.</i> I. vii.,	-	-	-	-	-	86
<i>Od.</i> I. ix.,	-	-	-	-	-	88
<i>Od.</i> I. xi.,	-	-	-	-	-	90
<i>Od.</i> I. xvii.,	-	-	-	-	-	58

## HORATII.

	PAGINA
<i>Od.</i> I. xx., - - - - -	57
<i>Od.</i> I. xxii., - - - - -	62
<i>Od.</i> I. xxiii., - - - - -	71
<i>Od.</i> I. xxiv., - - - - -	79
<i>Od.</i> I. xxx., - - - - -	30
<i>Od.</i> I. xxxi., - - - - -	38
<i>Od.</i> I. xxxviii., - - - - -	65
<i>Od.</i> II. i., - - - - -	41
<i>Od.</i> II. iii., - - - - -	78
<i>Od.</i> II. iv., - - - - -	74
<i>Od.</i> II. vi., - - - - -	93
<i>Od.</i> II. viii., - - - - -	7
<i>Od.</i> II. ix., - - - - -	77
<i>Od.</i> II. x., - - - - -	95
<i>Od.</i> II. xi., - - - - -	65
<i>Od.</i> II. xii., - - - - -	91
<i>Od.</i> II. xiii., - - - - -	94
<i>Od.</i> II., xiv., - - - - -	96
<i>Od.</i> II. xv., - - - - -	43
<i>Od.</i> II. xvi., - - - - -	97
<i>Od.</i> III. i., - - - - -	100
<i>Od.</i> III. ii., - - - - -	43
<i>Od.</i> III. iii., - - - - -	44
<i>Od.</i> III. v., - - - - -	47
<i>Od.</i> III. vii. - - - - -	71
<i>Od.</i> III. viii., - - - - -	55



## HORATII.

PAGINA

<i>Od.</i> III. ix.,	-	-	-	-	-	72
<i>Od.</i> III. xiii.,	-	-	-	-	-	57
<i>Od.</i> III. xvii.,	-	-	-	-	-	88
<i>Od.</i> III. xviii.,	-	-	-	-	-	60
<i>Od.</i> III. xxi.,	-	-	-	-	-	61
<i>Od.</i> III. xxii.,	-	-	-	-	-	30
<i>Od.</i> III. xxiii.,	-	-	-	-	-	52
<i>Od.</i> III. xxvi.,	-	-	-	-	-	17
<i>Od.</i> III. xxvii.,	-	-	-	-	-	68
<i>Od.</i> III. xxviii.,	-	-	-	-	-	56
<i>Od.</i> III. xxix.,	-	-	-	-	-	102
<i>Od.</i> IV. iv.,	-	-	-	-	-	48
<i>Od.</i> IV. vii.,	-	-	-	-	-	76
<i>Od.</i> IV. ix.,	-	-	-	-	-	98
<i>Od.</i> IV. xi.,	-	-	-	-	-	16
<i>Od.</i> IV. xii.,	-	-	-	-	-	67
<i>Carmen Seculare,</i>	-	-	-	-	-	39

## PENTADII.

<i>Crede ratem ventis,</i>	-	.	-	-	-	7
----------------------------	---	---	---	---	---	---

## PETRONII.

<i>Lecto compositus,</i>	..	-	-	-	-	6
--------------------------	----	---	---	---	---	---

## PRUDENTII.

<i>Cathemerinon, Praef.,</i> vv. 1-27,	-	-	-	-	-	17
--	---	---	---	---	---	----

## SENECAE.

PAGINA

<i>Herc. Fur.</i> , vv. 125-158, - - -	54
<i>Medea</i> , vv. 301-320, 329-339, 364-379,	85
<i>Thyestes</i> , vv. 345-353, 363-369, 392-404,	92
<i>Troas</i> , vv. 372-382, 398-402, 405-409,	82
<i>Omnia tempus edax</i> , - - -	105

## STATII.

<i>Silv.</i> V. iv., - - - -	81
------------------------------	----

## TIBERIANI.

<i>Amnis ibat inter arva</i> , - - -	63
--------------------------------------	----

## VERGILII.

<i>Bucol.</i> II. vv. 6-72, - - -	18
<i>Bucol.</i> IV. vv. 4-63, - - -	35
<i>Bucol.</i> V. vv. 20-44, - - -	63
<i>Bucol.</i> VIII. vv. 17-61, - - -	8
<i>Bucol.</i> VIII. vv. 64-109, - - -	12
<i>Bucol.</i> X. vv. 9-69, - - -	14

# CENTUM CARMINA.

## 1. CATULLI.

VIVAMUS, mea Lesbia, atque amemus,  
rumoresque senum severiorum  
omnes unius aestimemus assis.  
soles occidere et redire possunt :  
nobis cum semel occidit brevis lux,  
nox est perpetua una dormienda.  
da mi basia mille, deinde centum,  
dein mille altera, dein secunda centum,  
deinde usque altera mille, deinde centum.  
dein, cum milia multa fecerimus,  
conturbabimus illa, ne sciamus,  
aut nequis malus invidere possit,  
cum tantum sciat esse basiorum.

## 2. EIUSDEM.

ILLE mi par esse deo videtur,  
ille, si fas est, superare divos,  
qui sedens adversus identidem te  
spectat et audit  
dulce ridentem, misero quod omnis  
eripit sensus mihi : nam simul te,  
Lesbia, aspexi, nihil est super mi  
vocis in ore.

## DE AMORE.

lingua sed torpet, tenuis sub artus  
flamma demanat, sonitu suopte  
tintinant aures geminae, teguntur  
lumina nocte.

otium, Catulle, tibi molestumst :  
otio exultas nimiumque gestis.  
otium et reges prius et beatas  
perdidit urbes.

3.

### *EIUSDEM.*

VESPER adest, iuvenes, consurgite : Vesper Olympo  
expectata diu vix tandem lumina tollit.

surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas ;  
iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.

Hymen o Hymenae, Hymen ades o Hymenae !

Cernitis, innuptae, iuvenes ? consurgite contra :

nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes.

sic certest ; viden ut perniciousiter exsiluere ?

non temere exsiluere ; canent quod visere par est.

Hymen o Hymenae, Hymen ades o Hymenae !

Non facilis nobis, aequales, palma parast ;

adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

non frustra meditantur, habent memorabile quod sit,

nec mirum, penitus quae tota mente laborant.

nos alio mentes, alio divisimus aures :

iure igitur vincemur ; amat victoria curam.

quare nunc animos saltem convertite vestros ;

dicere iam incipient, iam respondere decebit.

Hymen o Hymenae, Hymen ades o Hymenae.

## DE AMORE.

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?  
qui natam possis complexu avellere matris,  
complexum matris retinentem avellere natam,  
et iuveni ardenti castam donare puellam.  
quid faciunt hostes capta crudelius urbe?

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae!

Hespere, qui caelo lucet iucundior ignis?  
qui desponsa tua firmes conubia flamma,  
quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes  
nec iunxere prius quam se tuos extulit ardor.  
quid datur a divi felici optatius hora?

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae!

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam

\* \*

namque tuo adventu vigilat custodia semper.  
nocte latent fures, quos idem saepe revertens,  
Hespere, mutato comprehendis nomine Eous.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae!

\* \*

at lubet innuptis ficto te carpere questu.  
quid tum, si carpunt, tacita, a, quem mente requirunt?

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae!

Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,  
ignotus pecori, nullo convolsus aratro,  
quem mulcent aerae, firmat sol, educat imber

. . . . .  
multi illum pueri, multae optavere puellae:  
idem cum tenui carptus defloruit ungui,  
nulli illum pueri, nullae optavere puellae:

## DE AMORE.

sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est ;  
cum castum amisit polluto corpore florem,  
nec pueris iucunda manet nec cara puellis.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae !

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo  
numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,  
sed tenerum prono deflectens pondere corpus  
iam iam contingit summum radice flagellum ;  
hanc nulli agricolae, nulli, a, coluere iuveni :  
at si forte eademst ulmo coniuncta marito,  
multi illam agricolae, multi coluere iuveni :  
sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit ;  
cum par conubium maturo tempore adeptast,  
cara viro magis et minus est invisata parenti.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae !

At nec tu pugna cum tali coniuge, virgo.  
non aequomst pugnare, pater quom tradidit ipse,  
ipse pater cum matre, quibus parere necessest.  
virginitas non tota tuast, ex parte parentumst ;  
tertia pars patrist, pars est data tertia matri,  
tertia sola tuast : noli pugnare duobus,  
qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae !

4.

### *EIUSDEM.*

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam  
vere, quantum a me Lesbia amata mea es.  
nulla fides ullo fuit unquam foedere tanta,  
quanta in amore tuo ex parte reperta meast.

## DE AMORE.

5.

### *EIUSDEM.*

QUAERIS, quot mihi basiationes  
tuae, Lesbia, sint satis superque.  
quam magnus numerus Libyssae harenae  
lasarpiciferis iacet Cyrenis,  
oraclum Iovis inter aestuosi  
et Batti veteris sacrum sepulcrum,  
aut quam sidera multa, cum tacet nox,  
furtivos hominum vident amores,  
tam te basia multa basiare  
vesano satis et super Catullost,  
quae nec pernumerare curiosi  
possint nec mala fascinare lingua.

6.

### *EIUSDEM.*

LESBIA mi dicit semper male nec tacet unquam  
de me : Lesbia me dispeream nisi amat.  
quo signo ? quia sunt totidem mea : deprecor illam  
adsidue, verum dispeream nisi amo.

7.

### *EIUSDEM.*

IUCUNDUM, mea vita, mihi proponis amorem  
hunc nostrum inter nos perpetuomque fore.  
di magni, facite ut vere promittere possit,  
atque id sincere dicat et ex animo,  
ut liceat nobis tota perducere vita  
aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

## DE AMORE.

8.

### PETRONII.

LECTO compositus vix prima silentia noctis  
carpebam et somno lumina victa dabam :  
cum me saevus Amor prensat sursumque capillis  
excitat et lacerum pervigilare iubet.  
'tu famulus meus,' inquit, 'ames cum mille puellas,  
solus, io, solus, dure, iacere potes ?'  
exsilio et pedibus nudis tunicaque soluta  
omne iter incipio, nullum iter expedio.  
nunc propero, nunc ire piget, rursumque redire  
poenitet et pudor est stare via media.  
ecce tacent voces hominum strepitusque viarum  
et volucrum cantus turbaque fida canum :  
solus ego ex cunctis paveo somnumque torumque  
et sequor imperium, magne Cupido, tuum.

9.

### HORATII.

QUIS multa gracilis te puer in rosa  
perfusus liquidis urget odoribus  
grato, Pyrrha, sub antro ?  
cui flavam religas comam,  
simplex munditiis ? heu quotiens fidem  
mutatosque deos flebit et aspera  
nigris aequora ventis  
emirabitur insolens,  
qui nunc te fruitur credulus aurea,  
qui semper vacuum, semper amabilem  
sperat, nescius aurae  
fallacis. miseri, quibus



## DE AMORE.

intemptata nites. me tabula sacer  
votiva paries indicat uvida  
suspendisse potenti  
vestimenta maris deo.

10.

### CATULLI.

NULLI se dicit mulier mea nubere malle  
quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.  
dicit : sed mulier cupido quod dicit amanti,  
in vento et rapida scribere oportet aqua.

11.

### PENTADII.

CREDE ratem ventis, animum ne crede puellis;  
namque est feminea tutior unda fide.  
femina nulla bona est, vel, si bona contigit una,  
nescio quo fato est res mala facta bona.

12.

### HORATII.

ULLA si iuris tibi perierati  
poena, Barine, nocuisset umquam,  
dente si nigro fieres vel uno  
turpior ungui,  
crederem : sed tu simul obligasti  
perfidum votis caput, enitescis  
pulcrior multo iuvenumque prodis  
publica cura.  
expedit matris cineres opertos  
fallere et toto taciturna noctis

## DE AMORE.

signa cum caelo gelidaque divos  
morte carentis.  
ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident  
simplices Nymphae, ferus et Cupido  
semper ardentis acuens sagittas  
cote cruenta.  
adde quod pubes tibi **cre**scit omnis,  
servitus crescit nova, nec priores  
impiae tectum dominae relinunt  
saepe minati.  
te suis matres metuunt iuencis,  
te senes parci miseraeque nuper  
virgines nuptae, tua ne retardet  
aura maritos.

13.

VERGILII.

NASCERE, praeque diem veniens age, Lucifer, alnum,  
coniugis indigno Nysae deceptus amore  
dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis  
profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis  
semper habet; semper pastorum ille audit amores,  
Panaque qui primus calamos non passus inertis.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Mopso Nysa datur: quid non speremus amantes?  
iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti  
cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor;  
sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.

## DE AMORE.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

o digno coniuncta viro, dum despicias omnis,  
dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae  
hirsutumque supercilium promissaque barba,  
nec curare deum credis mortalia quemquam!

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

saepibus in nostris parvam te roscida mala  
(dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.  
alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;  
iam fragilis poteram ab terra contingere ramos.  
ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum  
aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,  
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

saevus Amor docuit natorum sanguine matrem  
commaculare manus; crudelis tu quoque, mater;  
crudelis mater magis, an puer improbus ille?  
improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae  
mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,  
pinguia corticibus sudent electra myricae,  
certent et cygnis ululae, sit Tityrus Orpheus,  
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

incipi Maenaios mecum, mea tibia, versus.

omnia vel medium fiant mare. vivite, silvae:  
praeceps aeri specula de montis in undas  
deferar; extremum hoc munus morientis habeto.

desine Maenaios, iam desine, tibia, versus

## DE AMORE.

### 14. CATULLI.

DICEBAS quondam solum te nosse Catullum,  
Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.  
dilexi tum te non tantum ut volgus amicam,  
sed pater ut gnatos diligit et generos.  
nunc te cognovi : quare etsi inpensius uror,  
multo mi tamen es vilior et levior.  
'qui potis est' ? inquis. quia amantem iniuria talis  
cogit amare magis sed bene velle minus.

### 15. EIUSDEM.

ODI et amo. quare id faciam, fortasse requiris.  
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

### 16. EIUSDEM.

DESINE de quoquam quicquam bene velle mereri  
aut aliquem fieri posse putare pium.  
omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne ;  
immo taedet obestque et magis atque magis :  
ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,  
quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit

### 17. EIUSDEM.

HUC est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa,  
atque ita se officio perdidit ipsa suo,  
ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,  
nec desistere amare, omnia si facias.

## DE AMORE.

18.

### *EIUSDEM.*

FURI et Aureli, comites Catulli,  
sive in extremos penetrabit Indos,  
litus ut longe resonante Eoa  
    tunditur unda,  
sive in Hyrcanos Arabasve molles,  
seu Sagas sagittiferosve Parthos,  
sive quae septemgeminus colorat  
    aequora Nilus,  
sive trans altas gradietur Alpes,  
Caesaris visens monumenta magni,  
Gallicum Rhenum, horribile aequor ulti-  
    mosque Britannos,  
omnia haec, quaecumque feret voluntas  
caelitum, temptare simul parati,  
pauca nuntiate meae puella  
    non bona dicta:  
cum suis vivat valeatque moechis,  
quos simul complexa tenet trecentos,  
nullum amans vere, sed identidem omnium  
    ilia rumpens:  
nec meum respectet, ut ante, amorem,  
qui illius culpa cecidit velut prati  
ultimi flos, praetereunte postquam  
    tactus aratrost.

19.

### *EIUSDEM.*

SIQUA recordanti benefacta priora voluptas  
est homini, cum se cogitat esse pium  
nec sanctum violasse fidem nec foedere in ullo  
divom ad fallendos numine abusum homines,

## DE AMORE.

multa parata manent in longa aetate, Catulle,  
ex hoc ingrato gaudia amore tibi.  
nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt  
aut facere, haec a te dictaque factaque sunt ;  
omniaque ingratae perierunt credita menti.  
quare cur tu te iam amplius excrucies ?  
quin tu animum offirmas atque istinc teque reducis  
et dis invitis desinis esse miser.  
'difficilest longum subito deponere amorem.'  
difficilest, verum hoc qua lubet efficias.  
una salus haec est, hoc est tibi pervincendum :  
hoc facias, sive id non pote sive pote.  
o di, si vestrumst misereri, aut si quibus umquam  
extremam iam ipsa in morte tulistis opem,  
me miserum aspicate et, si vitam puriter egi,  
eripite hanc pestem perniciemque mihi.  
heu, mihi surrepens imos ut torpor in artus  
expulit ex omni pectore laetitas.  
non iam illud quaero, contra me ut diligat illa,  
aut, quod non potis est, esse pudica velit :  
ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.  
o di, reddite mi hoc pro pietate mea.

20.

### VERGILII.

EFFER aquam et molli cinge haec altaria vitta  
verbenasque adole pinguis et mascula tura :  
coniugis ut magicis sanos avertere sacris  
experiar sensus ; nihil hic nisi carmina desunt.  
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
carmina vel caelo possunt deducere Lunam ;

## DE AMORE.

carminibus Circe socios mutavit Ulixi ;  
frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
terna tibi haec primum triplici diversa colore  
licia circumdo, terque haec altaria circum  
effigiem duco ; numero deus impare gaudet.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores ;  
necte, Amarylli, modo, et, 'Veneris,' die, 'vincula necto.'

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit  
uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.  
sparge molam, et fragilis incende bitumine laurus.

Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvenum  
per nemora atque altos quaerendo bucula lucos  
propter aquae rivum viridi procumbit in ulva  
perdita, nec serae meminit decedere nocti,  
talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,  
pignora cara sui ; quae nunc ego limine in ipso,  
terra, tibi mando ; debent haec pignora Daphnim.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena  
ipse dedit Moeris ; nascuntur plurima Ponto.  
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis  
Moerim, saepe animas imis excire sepulcris  
atque satas alio vidi traducere messis.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
fer cineres, Amaryllii, foras, rivoque fluenti  
transque caput iace ; nec respexeris. his ego Daphnim

## DE AMORE.

adgrediar ; nihil ille deos, nil carmina curat.

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
aspice corripuit tremulis altaria flammis  
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit !  
nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.  
credimus ? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt ?  
parcite, ab urbe venit, iam, carmina, parcite, Daphnis.

21.

### EIUSDEM.

QUAE nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae  
Naides, indigno cum Gallus amore peribat ?  
nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi  
ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.  
illum etiam lauri, etiam flevere myricae ;  
pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem  
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei ;  
stant et oves circum ; (nostri nec paenitet illas,  
nec te paeniteat pecoris, divine poeta :  
et formosus ovis ad flumina pavit Adonis)  
venit et upilio ; tardi venere subulci ;  
avidus hiberna venit de glande Menalcas.  
omnes, 'unde amor iste,' rogant, 'tibi ?' venit Apollo :  
'Galle, quid insanis ?' inquit ; 'tua cura Lycoris  
perque nives alium perque horrida castra secuta est.'  
venit et agresti capitis Silvanus honore,  
florentis ferulas et grandia lilia quassans.  
Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi  
sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.  
'ecquis erit modus ?' inquit ; 'Amor non talia curat ;  
nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,  
nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.'  
tristis at ille : 'tamen cantabitis, Arcades,' inquit,



## DE AMORE.

‘ montibus haec vestris : soli cantare periti  
Arcades. o mihi tum quam molliter ossa quiescant,  
vestra meos olim si fistula dicat amores !  
atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem  
aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae !  
certe, sive mihi Phyllis sive esset Amyntas,  
seu quicumque furor (quid tum, si fuscus Amyntas ?  
et nigrae violae sunt et vaccinia nigra)  
mecum inter salices lenta sub vite iaceret ;  
serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.  
hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,  
hic nemus ; hic ipso tecum consumerer aevo.  
nunc insanus amor duri me Martis in armis  
tela inter media atque adversos detinet hostes ;  
tu procul a patria, nec sit mihi credere tantum !  
Alpinas, a dura, nives et frigora Rheni  
me sine sola vides. a, te ne frigora laedant !  
a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas !  
ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu  
carmina, pastoris Siculi modulabor avena.  
certum est in silvis inter spelaea ferarum  
malle pati tenerisque meos incidere amores  
arboribus ; crescent illae, crescetis, amores.  
interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,  
aut acris venabor apros. non me ulla vetabunt  
frigora Parthenios canibus circumdare saltus.  
iam mihi per rupes videor lucosque sonantis  
ire ; libet Partho torquere Cydonia cornu  
spicula. tamquam haec sit nostri medicina furoris  
aut deus ille malis hominum mitescere discat !  
iam neque Amadryades rursus nec carmina nobis  
ipsa placent ; ipsae rursus concedite silvae.  
non illum nostri possunt mutare labores,

## DE AMORE.

nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus  
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,  
nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,  
Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.  
omnia vincit Amor ; et nos cedamus Amori.

22.

*HORATII.*

EST mihi nonum superantis annum  
plenus Albani cadus ; est in horto,  
Phylli, nectendis apium coronis ;  
est hederæ vis  
multa qua crinis religata fulges ;  
ridet argento domus ; ara castis  
vincta verbenis avet immolato  
spargier agno ;  
cuncta festinat manus, huc et illuc  
cursitant mixtae pueris puellae ;  
sordidum flammæ trepidant rotantes  
vertice fumum.  
ut tamen noris quibus advoceris  
gaudiis, Idus tibi sunt agendae,  
qui dies mensem Veneris marinae  
findit Aprilem,  
iure sollemnis mihi sanctiorque  
paene natali proprio, quod ex hac  
luce Maecenas meus affluentis  
ordinat annos.  
Telephum, quem tu petis, occupavit  
non tuæ sortis iuvenem puella  
dives et lasciva tenetque grata  
compede vinctum.

## DE TERMINO AMORIS.

terret ambustus Phaethon avaras  
spes, et exemplum grave praebet ales  
Pegasus terrenum equitem gravatus  
    Bellerophontem,  
semper ut te digna sequare et ultra  
quam licet sperare nefas putando  
disparem vites. age iam, meorum  
    finis amorum  
(non enim posthac alia calebo  
femina), condisce modos, amanda  
voce quos reddas; minuentur atrae  
    carmine curae.

23.

### *EIUSDEM*

VIXI puellis nuper idoneus  
et militavi non sine gloria:  
    nunc arma defunctumque bello  
    barbiton hic paries habebit,  
laevom marinae qui Veneris latus  
custodit. hic, hic ponite lucida  
    funalia et vectes et arcus  
    oppositis foribus minacis.  
o quae beatam diva tenes Cyprum et  
Memphin carentem Sithonia nive,  
    regina, sublimi flagello  
    tange Chloen semel arrogantem.

24.

### *PRUDENTII.*

PER quinquennia jam decem,  
ni fallor, fuimus: septimus insuper  
annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.

## DE TERMINO AMORIS.

instat terminus, et diem  
vicinum senio iam Deus applicat.  
quidvis utile tanti spatio temporis egimus?  
aetas prima crepantibus  
flevit sub ferulis. mox docuit toga  
infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.  
tum lasciva protervitas,  
ac luxus petulans (heu pudet ac piget!)  
foedavit iuvenem nequitiae sordibus ac luto:  
exin iurgia turbidos  
armarunt animos, et male pertinax  
vincendi studium subiacuit casibus asperis:  
bis legum moderamine  
frenos nobilium reximus urbium,  
ius civile bonis reddidimus, terruimus reos:  
tandem militiae gradu  
evectum pietas Principis extulit,  
assumptum propius stare iubens ordine proximo.  
haec dum vita volans agit,  
irrepsit subito canities seni,  
oblitum veteris me Saliae consulis arguens:  
sub quo prima dies mihi  
quam multas hiemes voverit, et rosas  
pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.

25.

VERGILII.

O CRUDELIS Alexi, nihil mea carmina curas?  
nil nostri miserere? mori me denique coges.  
nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;  
nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,  
Thestyliis et rapido fessis messoribus aestu

## DE TERMINO AMORIS.

alia serpullumque herbas contundit olentis.  
at mecum raucis, tua dum vestigia lustro,  
sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.  
nonne fuit satius tristis Amaryllidis iras  
atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,  
quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?  
o formose puer, nimium ne crede colori.  
alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.  
despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,  
quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans;  
mille meae Siculis errant in montibus agnae;  
lac mihi non aestate novum, non frigore defit.  
canto quae solitus, si quando armenta vocabat,  
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracintho.  
nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,  
cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim  
iudice te metuam, si numquam fallit imago.  
o tantum libeat mecum tibi sordida rura  
atque humilis habitare casas et figere cervos  
haedorumque gregem viridi compellere hibisco!  
mecum una in silvis imitabere Pana canendo.  
Pan primus calamos cera coniungere pluris  
instituit; Pan curat ovis oviumque magistros.  
nec te paeniteat calamo trivisse labellum:  
haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?  
est mihi disparibus septem compacta cicutis  
fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,  
et dixit moriens: 'te nunc habet ista secundum.'  
dixit Damoetas: invidit stultus Amyntas.  
praeterea duo nec tuta mihi valle reperti  
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,  
bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.  
iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;

## DE TERMINO AMORIS

et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.  
huc ades, o formose puer : tibi candida Nais,  
pallentis violas et summa papavera carpens,  
narcissum et florem iungit bene olentis anethi ;  
tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,  
mollia luteola pingit vaccinia calta.  
ipse ego cana legam tenera lanugine mala,  
castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.  
addam cerea pruna : honos erit huic quoque pomo ;  
et vos, o lauri, carpam, et te, proxuma myrte,  
sic positae quoniam suavis miscetis odores.  
rusticus es, Corydon : nec munera curat Alexis,  
nec, si muneribus certes, concedat Iollas.  
heu, heu, quid volui misero mihi ? floribus austrum  
perditus et liquidis in misi fontibus apros.  
quem fugis, a demens ? habitarunt di quoque silvas  
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,  
ipsa colat ; nobis placeant ante omnia silvae.  
torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam ;  
florentem cytisum sequitur lasciva capella ;  
te Corydon, o Alexi : trahit sua quemque voluptas.  
aspice, aratra iugo referunt suspensa iuveni,  
et sol crescentis decedens duplicat umbras :  
me tamen urit amor ; quis enim modus adsit amori ?  
a Corydon, Corydon, quae te dementia cepit !  
semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.  
quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,  
viminibus mollique paras detexere iunco ?  
invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

## DE CONUBIO.

26.

### CATULLI.

O DECUS eximium magnis virtutibus augens,  
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,  
accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores  
veridicum oraclum. sed vos, quae fata secuntur,  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

adveniet tibi iam portans optata maritis  
Hesperus, adveniet fausto cum sidere coniunx,  
quae tibi flexanimo mentem perfundat amore  
languidulosque paret tecum coniungere somnos,  
levia substernens robusto brachia collo.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

nulla domus tales umquam contexit amores,  
nullus amor tali coniunxit foedere amantes,  
qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

nascetur vobis expers terroris Achilles,  
hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,  
qui persaepe vago victor certamine cursus  
flammea praevertet celeris vestigia cervae.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

non illi quisquam bello se conferet heros,  
cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi,  
Troicaque obsidens longinquo moenia bello  
periuri Pelopis vastabit tertius heres.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

illius egregias virtutes claraque facta  
saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,

## DE CONUBIO.

cum incultum cano solvent a vertice crinem  
putridaque infirmis variabunt pectora palmis.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

namque velut densas praesternens messor aristas  
sole sub ardenti flaventia demetit arva,  
Troiu genum infesto prosternet corpora ferro.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi

testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,  
quae passim rapido diffunditur Hellesponto,  
cuius iter caesis angustans corporum acervis  
alta tepefaciet permixta flumina caede.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

denique testis erit morti quoque reddita praeda,  
cum terrae excelso coacervatum aggere bustum  
excipiet niveos percussae virginis artus.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis  
urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla,  
alta Polyxenia madefient caede sepulcra,  
quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,  
proiciet truncum submisso poplite corpus.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

quare agite optatos animi coniungite amores.  
accipiat coniunx felici foedere divam,  
dedatur cupido iamdudum nupta marito.  
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.



## DE CONUBIO.

non illam nutrix orienti luce revisens  
hesterno collum poterit circumdare filo,  
anxia nec mater discordis maesta puellae  
secubitu caros mittet sperare nepotes.  
    currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

27.

### *EIUSDEM.*

COLLIS o Heliconii  
cultor, Uraniae genus,  
qui rapis teneram ad virum  
virginem, o Hymenaeae Hymen,  
    o Hymen Hymenaeae,

cinge tempora floribus  
suave olentis amaraci,  
flammeum cape, laetus huc  
huc veni niveo gerens  
    luteum pede soccum,

excitusque hilari die  
nuptialia concinens  
voce carmina tinnula  
pelle humum pedibus, manu  
    pineam quate taedam.

namque Vinia Manlio,  
qualis Idalium colens  
venit ad Phrygium Venus  
iudicem, bona cum bona  
    nubet alite virgo,

## DE CONUBIO.

floridis velut enitens  
myrtus Asia ramulis,  
quos Hamadryades deae  
ludicrum sibi roscido  
nutriunt umore.

quare age huc aditum ferens  
perge linquere Thespieae  
rupis Aonios specus,  
nympha quos super inrigat  
frigerans Aganippe,

ac domum dominam voca  
coniugis cupidam novi,  
mentem amore revinciens,  
ut tenax hedera huc et huc  
arborem implicat errans.

vosque item simul, integrae  
virgines, quibus advenit  
par dies, agite in modum  
dicite 'o Hymenae Hymen,  
o Hymen Hymenae,'

ut lubentius, audiens  
se citarier ad suum  
munus huc aditum ferat  
dux bonae Veneris, boni  
coniugator amoris.

quis deus magis est ama-  
tis petendus amantibus?  
quem colent homines magis

## DE CONUBIO.

caelitum? o Hymenae Hymen,  
o Hymen Hymenae.

te suis tremulus parens  
invocat, tibi virgines  
zonula soluunt sinus,  
te timens cupida novos  
captat aure maritus.

tu fero iuveni in manus  
floridam ipse puellulam  
dedis a gremio suae  
matris, o Hymenae Hymen,  
o Hymen Hymenae.

nil potest sine te Venus,  
fama quod bona conprobet,  
commodi capere: at potest  
te volente. quis huic deo  
compararier ausit?

nulla quit sine te domus  
liberos dare, nec parens  
stirpe nitier: at potest  
te volente. quis huic deo  
compararier ausit?

quae tuis careat sacris,  
non queat dare praesides  
terra finibus: at queat  
te volente. quis huic deo  
compararier ausit?

## DE CONUBIO.

claustra pandite ianuae,  
virgo, ades. viden ut faces  
splendidas quatiunt comas?

• • • • •  
• • • • •

• • • • •  
• • • • •  
tardet ingenuos pudor.  
quem tamen magis audiens  
flet, quod ire necesse est.

flere desine. non tibi, A-  
runculeia, periculumst,  
nequa femina pulcrior  
clarum ab Oceano diem  
viderit venientem.

talis in vario solet  
divitis domini hortulo  
stare flos hyacinthinus.  
sed moraris, abit dies :  
prodeas, nova nupta.

prodeas, nova nupta, si  
iam videtur, et audias  
nostra verba. vide ut faces  
aureas quatiunt comas :  
prodeas, nova nupta.

non tuos levis in mala  
deditus vir adultera  
probra turpia persequens

## DE CONUBIO.

a tuis teneris volet  
secubare papillis ;

lenta quin velut adsitas  
vitis implicat arbores,  
implicabitur in tuom  
complexum. sed abit dies :  
prodeas, nova nupta.

en tibi domus ut potens  
et beata viri tui,  
quae tibi sine seruiat  
(io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae)

usque dum tremulum movens  
cana tempus anilitas  
omnia omnibus adnuit.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae

transfer omine cum bono  
limen aureolos pedes,  
rassilemque subi forem.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae.

aspice, intus ut accubans  
vir tuos Tyrio in toro  
totus immineat tibi.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae.

## DE CONUBIO.

illi non minus ac tibi  
pectore uritur intimo  
flamma, sed penite magis.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae.

mitte brachiolum teres,  
praetextate, puellulae :  
iam cubile adeat viri.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae.

vos bonae senibus viris  
cognitae bene feminae,  
collocate puellulam.  
io Hymen Hymenaeae io,  
io Hymen Hymenaeae.

iam licet venias. marite :  
uxor in thalamo tibist  
ore floridulo nitens,  
alba parthenice velut  
luteumve papaver

at, marite, (ita me iuvent  
caelites) nihilo minus  
pulcer es, neque te Venus  
neglegit. sed abit dies ;  
perge, ne remorare.

non diu remoratus es,  
iam venis. bona te Venus  
iuverit, quoniam palam

## DE CONUBIO.

quod cupis cupis et bonum  
non abscondis amorem.

ille pulveris Africi  
siderumque micantium  
subducat numerum prius,  
qui vestri numerare volt  
multa milia ludi.

ludite ut lubet, et brevi  
liberos date. non decet  
tam vetus sine liberis  
nomen esse, sed indidem  
semper ingenerari.

Torquatus volo parvulus  
matris e gremio suae  
porrigens teneras manus  
dulce rideat ad patrem  
semihante labello.

sit suo similis patri  
Manlio et facile insciis  
noscitetur ab omnibus  
et pudicitiam suae  
matris indicet ore.

talis illius a bona  
matre laus genus adprobet,  
qualis unica ab optima  
matre Telemacho manet  
fama Penelopeo.

## DE RELIGIONE.

claudite ostia, virgines :  
lusimus satis. at, boni  
coniuges, bene vivite et  
munere adsiduo valentem  
exercete iuventam.

28.

*HORATII.*

MONTIUM custos nemorumque virgo,  
quae laborantis utero puellas  
ter vocata audis adinisque leto,  
diva triformis,  
imminens villae tua pinus esto,  
quam per exactos ego laetus annos  
verris obliquom meditantis ictum  
sanguine donem.

29.

*EIUSDEM.*

O VENUS regina Cnidi Paphique.  
sperne dilectam Cypron et vocantis  
ture te multo Glycerae decoram  
transfer in aedem.  
fervidus tecum puer et solutis  
Gratiae zonis properentque Nymphae  
et parum comis sine te Iuventas  
Mercuriusque.

30.

*INCERTI AUCTORIS.*

CRAS amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet :  
ver novum, ver iam canorum, ver renatus orbis est ;



## DE RELIGIONE.

vere concordant amores, vere nubunt alites,  
et nemus comani resolvit de maritis imbribus.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Cras amorum copulatrix inter umbras arborum  
implicat casas virentes de flagello myrteo :

Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Cras erit quom primus aether copulavit nuptias :  
tunc liquore de superno spumeo et ponti globo  
caerulas inter catervas, inter et bipedes equos,  
fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis ;  
ipsa turgentes papillas de Favoni spiritu  
urget in nodos tepentes ; ipsa roris lucidi,  
noctis aura quem relinquit, spargit umentes aquas.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet

Emicant lacrimae trementes de caduco pondere ;  
gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos :  
umor ille quem serenae astra rorant noctibus  
mane virgines papillas solvit umentem peplo.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

## DE RELIGIONE.

En pudorem florulentae prodiderunt purpurae  
ipsa iussit, mane nudaē virgines nubant rosae,

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Facta Cypridis de cruore deque Amoris osculo,  
deque gemmis deque flammis deque solis purpuris,  
cras ruborem qui latebat veste tectus ignea  
uvido marita nodo non pudebit solvere.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ipsa nymphas diva luco iussit ire myrteo :  
it puer comes puellis ; nec tamen credi potest  
isse Amorem feriatum, si sagittas vexerit :  
ite nymphae, posuit arma, feriatus est Amor.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Iussus est inermis ire, nudus ire iussus est,  
neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet :  
sed tamen cavete nymphae, quod Cupido pulcer est :  
totus est inermis idem quando nudus est Amor.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Conpari Venus pudore mittit ad te virgines :  
una res est quam rogamus, cede virgo Delia,  
ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus  
et recentibus virentes ducat umbras floribus.

## DE RELIGIONE.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet

Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret ;  
ipsa vellet ut venires, si deceret virginem :  
iam tribus choros videres feriatos noctibus  
congreges inter catervas ire per saltus tuos.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Floreas inter coronas, myrteas inter casas,  
nec Ceres nec Bacchus absunt nec poetarum deus.  
de tenente tota nox est perviglanda canticis :  
regnet in silvis Dione, tu recede Delia.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Iussit Hyblaeis tribunal stare diva floribus ;  
praeses ipsa iura dicet, adsidebunt Gratiae :  
Hybla totos funde flores, quicquid annus adtulit ;  
Hybla florum sume vestem, quantus Ennae campus est.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ruris hic erunt puellae vel puellae montium  
quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontes incolunt :  
iussit omnes adsidere mater alitis dei,  
iussit et nudo puellas nil Amori credere.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ut pater totum creavit veris annum nubibus,  
in sinum maritus imber fluxit almae coniugis,  
unde fetus mixtus omnes alere magno corpore

## DE RELIGIONE.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ipsa venas atque mentem permeanti spiritu  
intus occultis gubernat procreatrix viribus :  
ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit ;  
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Pervium sui tenorem seminali tramite  
perque caelum perque terras perque pontum subditum  
inbuit iussitque mundum nosse nascendi vias.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit,  
moxque Marti de sacello dat pudicam virginem,  
unde Ramnes et Quirites proque prole posterum  
Romulum patrem crearet et nepotem Caesarem

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Rura fecundat voluptas : rura Venerem sentiunt :  
ipse Amor puer Dionae rure natus creditur :  
hunc ager cum parturiret ipsa suscepit sinu,  
ipsa florum delicatis educavit osculis.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Ecce iam subter genestas explicant tauri latus ;  
quisque coetus continetur coniugali foedere :  
subter umbras cum maritis ecce balantum gregem,  
et canoras non tacere diva iussit alites.

## DE RELIGIONE.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Iam loquaces ore rauco stagna cycni perstrepunt :  
adsonat Terei puella subter umbram populi,  
ut putes motus amoris ore dici musicos,  
et neges queri sororem de marito barbaro.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

Illa cantat, nos tacemus : quando ver venit meum ?  
quando fiam uti chelidon ut tacere desinam ?  
perdidi musam tacendo, nec me Apollo respicit :  
sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.

Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet.

31.

### VERGILII.

ULTIMA Cumaei venit iam carminis aetas ;  
magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.  
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna ;  
iam nova progenies caelo demittitur alto.  
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
desinet ac toto surget gens aurea mundo,  
casta fave Lucina : tuus iam regnat Apollo.  
teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,  
Pollio, et incipient magni procedere menses ;  
te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,  
inrita perpetua solvent formidine terras.  
ille deum vitam accipiet divisque videbit  
permixtos heroas et ipse videbitur illis,  
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

## DE RELIGIONE.

at tibi prima, puer, nullo munuscula cultu  
errantis hederas passim cum baccare tellus  
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.  
ipsae lacte domum referent distenta capellae  
ubera nec magnos metuent armenta leones.  
ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.  
occidet et serpens, et fallax herba veneni  
occidet ; Assyrium volgo nascetur amomum.  
at simul heroum laudes et facta parentis  
iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,  
molli paulatim flavescet campus arista,  
incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
et durae quercus sudabunt roscida mella.  
pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,  
quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris  
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.  
alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo  
delectos heroas ; erunt etiam altera bella,  
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.  
hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,  
cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus  
mutabit merces : omnis feret omnia tellus.  
non rastros patietur humus, non vinea falcem ;  
robustos quoque iam tauris iuga solvet arator ;  
nec varios discet mentiri lana colores,  
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti  
murice, iam croceo mutabit vellera luto ;  
sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.  
' talia saecla,' suis dixerunt, ' currite,' fuis  
concordes stabili fatorum numine Parcae.  
adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores,  
cara deum suboles, magnum Iovis incrementum !  
aspice convexo nutantem pondere mundum,

## DE RELIGIONE.

terrasque tractusque maris caelumque profundum,  
aspice venturo laetantur ut omnia saeclo !  
o, mihi tam longae maneat pars ultima vitae,  
spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta :  
non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,  
nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,  
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,  
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.  
incipere, parve puer, risu cognoscere matrem :  
matri longa decem tulerunt fastidia menses ;  
incipere, parve puer : cui non risere parentes,  
nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.

32.

### CATULLI.

DIANAË sumus in fide  
puellae et pueri integri :  
Dianam pueri integri  
puellaeque canamus.

o Latonia, maximi  
magna progenies Iovis,  
quam mater prope Deliam  
deposivit olivam,

montium domina ut fores  
silvarumque virentium  
saltuumque reconditorum  
amniūque sonantum;

## DE RELIGIONE.

tu Lucina dolentibus  
Iuno dicta puerperis,  
tu potens Trivia et notho es  
dicta lumine Luna.

tu cursu, dea, menstruo  
metiens iter annuom  
rustica agricolae bonis  
tecta frugibus explēs.

sis quocumque tibi placet  
sancta nomine, Romulique  
antiquam, ut solita es, bona  
sospites ope gentem.

33.

### *HORATII.*

QUID dedicatum poscit Apollinem,  
vates? quid orat de patera novom  
fundens liquorem? non opimae  
Sardiniae segetes feraces,  
non aestuosae grata Calabriae  
armenta, non aurum aut ebur Indicum,  
non rura quae Liris quieta  
mordet aqua taciturnus amnis.  
premant Calena falce quibus dedit  
fortuna vitem, dives ut aureis  
mercator exsiccet culullis  
vina Syra reparata merce,  
dis carus ipsis, quippe ter et quater  
anno revisens aequor Atlanticum  
impune: me pascunt olivae,  
me cichorea levesque malvae.



## DE RELIGIONE.

frui paratis et valido mihi,  
Latoe, dones et, precor, integra  
cum mente nec turpem senectam  
degere nec cithara carentem.

34.

### *EIUSDEM.*

PHOEBE silvarumque potens Diana,  
lucidum caeli decus, o colendi  
semper et culti, date quae precamur  
tempore sacro,  
quo Sibyllini monuere versus  
virgines lectas puerosque castos  
dis, quibus septem placuere colles,  
dicere carmen.

alme Sol, curru nitido diem qui  
promis et celas, aliusque et idem  
nascaris, possis nihil urbe Roma  
visere maius.

rite maturos aperire partus  
lenis, Ilithyia, tuere matres,  
sive tu Lucina probas vocari  
seu Genitalis :

diva, producas subolem, patrumque  
prosperes decreta super iugandis  
feminis prolisque novae feraci  
lege marita,  
certus undenos deciens per annos  
orbis ut cantus referatque ludos  
ter die claro totiensque grata  
nocte frequentis.

## DE RELIGIONE.

vosque veraces cecinisse, Parcae,  
quod semel dictum stabilis per aevom  
terminus servet, bona iam peractis  
iungite fata.

fertilis frugum pecorisque tellus  
spicea donet Cererem corona ;  
nutriant fetus et aquae salubres  
et Iovis aerae.

condito mitis placidusque telo  
supplices audi pueros, Apollo ;  
siderum regina bicornis, audi,  
Luna, puellas.

Roma si vestrum est opus Iliaque  
litis Etruscum tenuere turmae,  
iussa pars mutare lares et urbem  
sospite cursu,  
cui per ardentem sine fraude Troiam  
castus Aeneas patriae superstes  
liberum munivit iter, daturus  
plura relictis :

di, probos mores docili iuventae,  
di, senectuti placidae quietem,  
Romulae genti date remque prolemque  
et decus omne ;

quaeque vos bobus veneratur albis  
clarus Anchisae Venerisque sanguis,  
impetret, bellante prior, iacentem  
lenis in hostem.

iam mari terraque manus potentis  
Medus Albanasque timet secures ;  
iam Scythae responsa petunt superbi  
nuper et Indi.

iam fides et pax et honor pudorque

## DE REPUBLICA.

priscus et neglecta redire virtus  
audet, apparetque beata pleno  
copia cornu.

augur et fulgente decorus arcu  
Phoebus acceptusque novem Camenis,  
qui salutari levat arte fessos  
corporis artus,

si Palatinas videt aequos aras,  
remque Romanam Latiumque felix  
alterum in lustrum meliusque semper  
prorogat aevom.

quaeque Aventinum tenet Algidumque,  
quindecim Diana preces virorum  
curat et votis puerorum amicas  
applicat auris.

haec Iovem sentire deosque cunctos  
spem bonam certamque domum reporto,  
doctus et Phoebi chorus et Dianae  
dicere laudes.

35.

### *HORATII.*

MOTUM ex Metello consule civicum,  
bellique causas et vitia et modos,  
ludumque Fortunae gravisque  
principum amicitias et arma  
nondum expiatis uncta cruoribus,  
periculosae plenum opus aleae,  
tractas et incedis per ignis  
suppositos cineri doloso.  
paulum severae Musa tragoediae  
desit theatri: mox, ubi publicas

## DE REPUBLICA.

res ordinariis, grande munus  
Cecropio repetes coturno,  
insigne maestis praesidium reis  
et consulenti, Pollio, curiae,  
cui laurus aeternos honores  
Delmatico peperit triumpho  
iam nunc minaci murmure cornuum  
perstringis auris, iam litui strepunt,  
iam fulgor armorum fugacis  
terret equos equitumque voltus.  
audire magnos iam videor duces  
non indecoro pulvere sordidos  
et cuncta terrarum subacta  
praeter atrocem animum Catonis.  
Iuno et deorum quisquis amicior  
Afris inulta cesserat impotens  
tellure, victorum nepotes  
rettulit inferias Iugurthae.  
quis non Latino sanguine pinguior  
campus sepulcris impia proelia  
testatur auditumque Medis  
Hesperiae sonitum ruinae?  
qui gurgis aut quae flumina lugubris  
ignara belli? quod mare Daunia  
non decoloravere caedes?  
quae caret ora cruore nostro?  
sed ne relictis, Musa, procax iocis  
Caeae retractes munera neniae:  
mecum Dionaeo sub antro  
quaere modos levioere plectro.

DE REPUBLICA.

36.

*EIUSDEM.*

IAM pauca aratro iugera regiae  
moles relinquent, undique latius  
extenta visentur Lucrino  
stagna lacu, platanusque caelebs  
evincet ulmos; tum violaria et  
myrtus et omnis copia narium  
spargent olivetis odorem  
fertilibus domino priori;  
tum spissa ramis laurea fervidos  
excludet ictus. non ita Romuli  
praescriptum et intonsi Catonis  
auspiciis veterumque norma.  
privatus illis census erat brevis,  
commune magnum: nulla decempedis  
metata privatis opacam  
porticus excipiebat Arcton,  
nec fortuitum spernere caespitem  
leges sinebant, oppida publico  
sumptu iubentes et deorum  
templa novo decorare saxo.

37.

*EIUSDEM.*

ANGUSTAM amice pauperiem pati  
robustus acri militia puer  
condiscat et Parthos ferocis  
vexet eques metuendus hasta  
vitamque sub divo et trepidis agat  
in rebus. illum ex moenibus hosticis  
matrona bellantis tyranni  
prospiciens et adulta virgo

## DE REPUBLICA.

suspiret : eheu, ne rudis agminum  
sponsus lacessat regius asperum  
tactu leonem, quem cruenta  
per medias rapit ira caedes.  
dulce et decorum est pro patria mori :  
mors et fugacem persequitur virum,  
nec parcat inbellis iuventae  
poplitibus timidove tergo  
virtus repulsae nescia sordidae  
intaminatis fulget honoribus,  
nec sumit aut ponit securis  
arbitrio popularis aurae.  
virtus, recludens inmeritis mori  
caelum, negata temptat iter via,  
coetusque vulgaris et udam  
spernit humum fugiente pinna.  
est et fideli tuta silentio  
merces : vetabo, qui Cereris sacrum  
vulgarit arcanae, sub isdem  
sit trabibus fragilemque mecum  
solvat phaselon. saepe Diespiter  
neglectus incesto addidit integrum ;  
raro antecedentem scelestum  
deseruit pede poena claudio.

38.

### *EIUSDEM.*

IUSTUM et tenacem propositi virum  
non civium ardor prava iubentium,  
non voltus instantis tyranni  
mente quatit solida neque Auster  
dux inquieti turbidus Hadriae  
nec fulminantis magna manus Iovis ;

## DE REPUBLICA

si fractus inlabatur orbis,  
inpavidum ferient ruinae.  
hac arte Pollux et vagus Hercules  
enisus arces attigit igneas,  
quos inter Augustus recumbens  
purpureo bibet ore nectar.  
hac te merentem, Bacche pater, tuae  
vexere tigres indocili iugum  
collo trahentes ; hac Quirinus  
Martis equis Acheronta fugit,  
gratum elocuta consiliantibus  
Iunone divis : ‘ Ilion, Ilion  
fatalis incestusque iudex  
et mulier peregrina vertit  
in pulverem, ex quo destituit deos  
mercede pacta Laomedon, mihi  
castaeque damnatum Minervae  
cum populo et duce fraudulento.  
iam nec Lacaenae splendet adulterae  
famosus hospes nec Priami domus  
periura pugnacis Achivos  
Hectoreis opibus refringit,  
nostrisque ductum seditionibus  
bellum resedit. protinus et gravis  
iras et invisum nepotem,  
Troica quem peperit sacerdos,  
Marti redonabo ; illum ego lucidas  
inire sedes, discere nectaris  
sucos et adscribi quietis  
ordinibus patiar deorum.  
dum longus inter saeviat Ilion  
Romamque pontus, qualibet exules  
in parte regnanto beati ;

## DE REPUBLICA.

dum Priami Paridisque busto  
insultet armentum et catulos ferae  
celent inultae, stet Capitolium  
fulgens triumphatisque possit  
Roma ferox dare iura Medis.  
horrenda late nomen in ultimas  
extendat oras, qua medius liquor  
secernit Europen ab Afro,  
qua tumidus rigat arva Nilus,  
aurum inrepertum et sic melius situm,  
cum terra celat, spernere fortior  
quam cogere humanos in usus  
omne sacrum rapiente dextra.  
quicumque mundo terminus obstitit,  
hunc tanget armis, visere gestiens  
qua parte debacchentur ignes,  
qua nebulae pluviique rores.  
sed bellicosis fata Quiritibus  
hac lege dico, ne nimium pii  
rebusque fidentes avitae  
tecta velint reparare Troiae.  
Troiae renascens alite lugubri  
fortuna tristi clade iterabitur,  
ducente victrices catervas  
coniuge me Iovis et sorore.  
ter si resurgat murus aeneus  
auctore Phoebo, ter pereat meis  
excisus Argivis, ter uxor  
capta virum puerosque ploret.  
non hoc iocosae conveniet lyrae:  
quo, Musa, tendis? desine pervicax  
referre sermones deorum et  
magna modis tenuare parvis.



DE REPUBLICA.

39.

*EIUSDEM.*

CAELO tonantem credidimus Iovem  
regnare : praesens divos habebitur

Augustus adiectis Britannis  
imperio gravibusque Persis.  
milesne Crassi coniuge barbara  
turpis maritus vixit, et hostium  
(pro curia inversique mores !)  
consenuit socerorum in armis  
sub rege Medo Marsus et Apulus,  
anciliorum et nominis et togae  
oblitus aeternaeque Vestae,  
incolumi Iove et urbe Roma ?

hoc caverat mens provida Reguli  
dissentientis condicionibus  
foedis et exemplo trahentis  
perniciem veniens in aevom,  
si non periret inmiserabilis  
captiva pubes. ‘signa ego Punicis  
adfixa delubris et arma  
militibus sine caede’ dixit

‘derepta vidi ; vidi ego civium  
retorta tergo brachia libero,  
portasque non clausas et arva  
Marte coli populata nostro.  
auro repensus scilicet acrior  
miles redibit. flagitio additis  
damnum : neque amissos colores  
lana refert medicata fucō,  
nec vera virtus, cum semel excidit,  
curat reponi deterioribus.

si pugnat extricata densis

## DE REPUBLICA.

cerva plagis, erit ille fortis,  
qui perfidis se credidit hostibus  
et marte Poenos proteret altero  
qui lora restrictis lacertis  
sensit iners timuitque mortem.  
hic, unde vitam sumeret inscius.  
pacem duello miscuit. o pudor!  
o magna Karthago probrosis  
altior Italiae ruinis!  
fertur pudicae coniugis osculum  
parvosque natos ut capitis minor  
ab se removisse et virilem  
torvos humi posuisse voltum,  
donec labantis consilio patres  
firmaret auctor numquam alias dato  
interque maerentis amicos  
egregius properaret exul.  
atqui sciebat quae sibi barbarus  
tortor pararet; non aliter tamen  
dimovit obstantis propinquos  
et populum reditus morantem,  
quam si clientum longa negotia  
disiudicata lite relinqueret,  
tendens Venafranos in agros  
aut Lacedaemonium Tarentum.

40.

### *EIUSDEM.*

QUALEM ministrum fulminis alitem,  
cui rex deorum regnum in avis vagas  
permisit expertus fidelem  
Iuppiter in Ganymede flavo,

## DE REPUBLICA.

olim iuventas et patrius vigor  
nido laborum protulit inscium  
    vernique iam nimbis remotis  
    insolitos docuere nisus  
venti paventem, mox in ovilia  
demisit hostem vividus impetus,  
    nunc in reluctantis dracones  
    egit amor dapis atque pugnae ;  
qualemve laetis caprea pascuis  
intenta fulvae matris ab ubere  
    iam lacte depulsum leonem,  
    dente novo peritura vidit :  
videre Raeti bella sub Alpibus  
Drusum gerentem Vindelici (quibus  
    mos unde deductus per omne  
    tempus Amazonia securi  
dextras obarmet, quaerere distuli :  
nec scire fas est omnia), sed diu  
    lateque victrices catervae  
    consiliis iuvenis revictae  
sensere, quid mens rite, quid indoles  
nutrita faustis sub penetralibus  
    posset, quid Augusti paternus  
    in pueros animus Neronēs.  
fortes creantur fortibus et bonis ;  
est in iuvenis, est in equis patrum  
    virtus, neque inbellem feroces  
    progenerant aquilae columbam ;  
doctrina sed vim promovet insitam,  
rectique cultus pectora roborant ;  
    utcumque defecere mores,  
    dedecorant bene nata culpaē.  
quid debeas, o Roma, Neronibus,

## DE REPUBLICA.

testis Metaurum flumen et Hasdrubal  
devictus et pulcer fugatis  
    ille dies Latio tenebris,  
qui primus alma risit adorea,  
dirus per urbes Afer ut Italas  
    ceu flamma per taedas vel Euris  
    per Siculas equitavit undas.  
post hoc secundis usque laboribus  
Romana pubes crevit, et impio  
    vastata Poenorum tumultu  
    fana deos habuere rectos,  
dixitque tandem perfidus Hannibal:  
‘cervi, luporum praeda rapacium,  
    sectamur ultro, quos opimus  
    fallere et effugere est triumphus.  
gens, quae cremato fortis ab Ilio  
iactata Tuscis aequoribus sacra  
    natosque maturosque patres  
    pertulit Ausonias ad urbes,  
duris ut ilex tonsa bipennibus  
nigrae feraci frondis in Algido,  
    per damna, per caedes ab ipso  
    ducit opes animumque ferro.  
non Hydra secto corpore firmior  
vinci dolentem crevit in Herculem,  
    monstrumve submittere Colchi  
    maius Echioniaeve Thebae.  
merses profundo: pulcrior evenit;  
luctere: multa proruet integrum  
    cum laude victorem geretque  
    proelia coniugibus loquenda.  
Karthagini iam non ego nuntios  
mittam superbos: occidit, occidit

## DE PROVIDENTIA.

spes omnis et fortuna nostri  
nominis Hasdrubale interempto.<sup>7</sup>  
nil Claudiae non perficient manus,  
quas et benigno numine Iuppiter  
defendit et curae sagaces  
expediunt per acuta belli.

41.

### *BOETHII.*

O STELLIFERI conditor orbis,  
qui perpetuo nixus solio  
rapido caelum turbine versas,  
legemque pati sidera cogis ;  
ut nunc pleno lucida cornu,  
totis fratris obvia flammis,  
condat stellas luna minores ;  
nunc obscuro pallida cornu,  
Phoebo propior, lumina perdat ;  
et qui primae tempore noctis  
agit argentes Hesperus ortus,  
solitas iterum mutet habenas,  
Phoebi pallens Lucifer ortu.  
tu frondifluae frigore brumae  
stringis lucem breviora mora :  
tu, cum fervida venerit aestas,  
agiles noctis dividis horas.  
tua vis varium temperat annum,  
ut, quas Boreae spiritus aufert,  
revehat mitis Zephyrus frondes,  
quaeque Arcturus semina vidit,  
Sirius altas urat segetes.  
nihil antiqua lege solutum

## DE PROVIDENTIA.

linquit propriae stationis opus.  
omnia certo fine gubernans,  
hominum solos respuis actus  
merito rector cohibere modo.  
nam cur tantas lubrica versat  
fortuna vices? premit insontes  
debita sceleri noxia poena:  
at perversi resident celso  
mores solio, sanctaque calcant  
iniusta vice colla nocentes.  
latet obscuris condita virtus  
clara tenebris, iustusque tulit  
crimen iniqui.  
nil periuria, nil nocet ipsis  
fraus mendaci compta colore.  
sed cum libuit viribus uti,  
quos innumeri metuunt populi,  
summos gaudent subdere reges.  
o iam miseras respice terras,  
quisquis rerum foedera nectis.  
operis tanti pars non vilis  
homines quatimur fortunae sale.  
rapidus, rector, comprime fluctus,  
et, quo caelum regis immensum,  
firma stabiles foedere terras.

42.

*HORATII.*

CAELO supinas si tuleris manus  
nascente luna, rustica Phidyle,  
si ture placaris et horna  
fruge Lares avidaque porca,

## DE PROVIDENTIA.

nec pestilentem sentiet Africum  
fecunda vitis nec sterilem seges  
    robiginem aut dulces alumni  
        pomifero grave tempus anno.  
nam quae nivali pascitur Algido  
devota quercus inter et ilices  
    aut crescit Albanis in herbis  
        victima, pontificum securis  
cervice tinguet : te nihil attinet  
temptare multa caede bidentium  
    parvos coronantem marino  
        rore deos fragilique myrto.  
immunis aram si tetigit manus,  
non sumptuosa blandior hostia,  
    mollivit aversos Penatis  
        farre pio et saliente mica.

43.

### BOETHII.

O QUI perpetua mundum ratione gubernas,  
terrarum caelique sator, qui tempus ab aevo  
ire iubes, stabilisque manens das cuncta moveri ;  
quem non externae pepulerunt fingere causae  
materiae fluitantis opus, verum insita summi  
forma boni, livore carens : tu cuncta superno  
ducis ab exemplo, pulcrum pulcerrimus ipse  
mundum mente gerens, similique in imagine formans,  
perfectasque iubens perfectum absolvere partes.  
tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,  
arida convenient liquidis : ne purior ignis  
evolet, aut mersas deducant pondera terras.  
tu triplicis mediam naturae cuncta moventem

## DE VITA RUSTICA.

connectens animam per consona membra resolvis.  
quae cum secta duos motum glomeravit in orbes,  
in semet reditura meat, mentemque profundam  
circuit, et simili convertit imagine caelum.  
tu causis animas paribus, vitasque minores  
provehis, et levibus sublimes curribus aptans  
in caelum terramque seris : quas lege benigna  
ad te conversas reduci facis igne reverti.  
da, pater, augustam menti conscendere sedem,  
da fontem lustrare boni, da luce reperta  
in te conspicuos animi defigere visus.  
disice terrenae nebulas et pondera molis,  
atque tuo splendore mica : tu namque serenum,  
tu requies tranquilla piis : te cernere finis,  
principium, vector, dux, semita, terminus idem.

44.

### SENECAE.

IAM rara micant sidera prono  
languida mundo. nox victa vagos  
contrahit ignes luce renata.  
cogit nitidum Phosphoros agmen.  
signum celsi glaciale poli  
septem stellis Arcadis ursae  
lucem verso temone vocat.  
iam caeruleis evectus aquis  
Titan summa prospicit Oeta.  
iam Cadmeis incluta Bacchis  
aspersa die dumeta rubent  
Phoebique fugit reditura soror.  
labor exoritur durus et omnis



## DE VITA RUSTICA.

agitat curas aperitque domos.  
pastor gelida cana pruina  
grege dimisso pabula carpit.  
ludit prato liber aperto  
nondum rupta fronte iuventus.  
vacuae reparant ubera matres.  
errat cursu levis incerto  
molli petulans haedus in herba.  
pendet summo stridula ramo  
pennasque novo tradere soli  
gestit querulos inter nidos  
Thracia paelex,  
turbaque circa contusa sonat  
murmure mixto testata diem.  
carbasa credit dubius vitae  
navita ventis  
laxos aura complente sinus.  
hic exesis pendens scopulis  
aut deceptos instruit hamos  
aut suspensus spectat pressa  
praemia dextra : sentit tremulum  
linea piscem.

45.

*HORATII.*

MARTIIS caelebs quid agam Kalendis,  
quid velint flores et acerra turis  
plena miraris positusque carbo in  
caespite vivo,  
docte sermones utriusque linguae.  
voveram dulcis epulas et album

## DE VITA RUSTICA.

Libero caprum, prope funeratus  
arboris ictu.

hic dies anno redeunte testus  
corticem adstrictum pice demovebit  
amphorae fumum bibere institutae  
consule Tullo.

sume, Maecenas, cyathos amici  
sospitis centum et vigilis lucernas  
perfer in lucem; procul omnis esto  
clamor et ira.

mitte civilis super urbe curas:  
occidit Daci Cotisonis agmen,  
Medus infestus sibi luctuosis  
dissidet armis,

servit Hispanae vetus hostis orae  
Cantaber sera domitus catena,  
iam Scythae laxo meditantur arcu  
cedere campis.

neglegens, nequa populus laboret,  
parce privatus nimium cavere et  
dona praesentis cape laetus horae ac  
linque severa.

46.

### *EIUSDEM.*

FESTO quid potius die  
Neptuni faciam? prome reconditum,  
Lyde, strenua Caecubum,  
munitaeque adhibe vim sapientiae.  
inclinare meridiem  
sentis ac, veluti stet volucris dies,

## DE VITA RUSTICA.

parcis deripere horreo  
cessantem Bibuli consulis amphoram?  
nos cantabimus in vicem  
Neptunum et viridis Nereidum comas;  
tu curva recines lyra  
Latonam et celeris spicula Cynthiae;  
summo carmine, quae Cnidon  
fulgentisque tenet Cycladas et Paphum  
iunctis visit oloribus,  
dicetur merita Nox quoque nenia.

47.

### *EIUSDEM.*

VILE potabis modicis Sabinum  
cantharis, Graeca quod ego ipse testa  
conditum levi, datus in theatro  
cum tibi plausus,  
care Maecenas eques, ut paterni  
fluminis ripae simul et iocosa  
redderet laudes tibi Vaticani  
montis imago.  
Caecubum et prelo domitam Caleno  
tu bibes uvam: mea nec Falernae  
temperant vites neque Formiani  
pocula colles.

48.

### *EIUSDEM.*

O FONS Bandusiae splendidior vitro,  
dulci digne mero non sine floribus,  
cras donaberis haedo,  
cui frons turgida cornibus

## DE VITA RUSTICA.

primis et venerem et proelia destinat ;  
frustra : nam gelidos inficiet tibi  
    rubro sanguine rivos  
    lascivi suboles gregis.  
te flagrantis atrox hora Caniculae  
nescit tangere, tu frigus amabile  
    fessis vomere tauris  
    praebes et pecori vago.  
fies nobilium tu quoque fontium,  
me dicente cavis impositam ilicem  
    saxis, unde loquaces  
    lymphae desiliunt tuae.

49.

### *EIUSDEM.*

VELOX amoenum saepe Lucretilem  
mutat Lycaeo Faunus et igneam  
    defendit aestatem capellis  
    usque meis pluviosque ventos.  
impune tutum per nemus arbutos  
quaerunt latentis et thyma deviae  
    olentis uxores mariti,  
    nec viridis metuunt colubras  
nec Martialis Haediliae lupos,  
utcumque dulci, Tyndari, fistula  
    valles et Usticae cubantis  
    levia personuere saxa.  
di me tuentur, dis pietas mea  
et musa cordi est. hinc tibi copia  
    manabit ad plenum benigno  
    ruris honorum opulenta cornu.  
hic in reducta valle Caniculae

## DE VITA RUSTICA.

vitabis aestus et fide Teia  
dices laborantis in uno  
Penelopen vitreamque Circen.  
hic innocentis pocula Lesbii  
duces sub umbra nec Semeleius  
cum Marte confundet Thyoneus  
proelia nec metues protervom  
suspecta Cyrum, ne male dispari  
incontinentis iniciat manus  
et scindat haerentem coronam  
crinibus immeritamque vestem

### 50. *INCERTI AUCTORIS.*

EGO haec, ego arte fabricata rustica,  
ego arida, o viator, ecce populus  
agellulum hunc, sinistra et ante quem vides,  
erique villulam hortulumque pauperis  
tuor malaque furis arceo manu.  
mihi corolla picta vere ponitur,  
mihi rubens arista sole fervido,  
mihi virente dulcis uva pampino,  
mihi coacta duro oliva frigore.  
meis capella delicata pascuis  
in urbem adulta lacte portat ubera ;  
meisque pinguis agnus ex ovilibus  
gravem domum remittit aere dexteram,  
teneraque matre mugiente vaccula  
deum profundit ante templa sanguinem.  
proin, viator, hunc deum vereberis  
manumque sursum habebis: hoc tibi expedit.

## DE VITA RUSTICA.

51.

*HORATII.*

FAUNE, Nympharum fugientum amator,  
per meos finis et aprica rura  
lenis incedas abeasque parvis  
    aequos alumnis,  
si tener pleno cadit haedus anno,  
larga nec desunt Veneris sodali  
vina craterae, vetus ara multo  
    fumat odore.  
ludit herboso pecus omne campo,  
cum tibi Nonae redeunt Decembres ;  
festus in pratis vacat otioso  
    cum bove pagus ;  
inter audaces lupus errat agnos ;  
spargit agrestis tibi silva frondes ;  
gaudet invisam pepulisse fossor  
    ter pede terram.

52.

*INCERTI AUCTORIS.*

HUNC ego, o iuvenes, locum villulamque palustrem  
tectam vimine iunceo caricisque maniplis,  
quercus arida rustica fomitata securi,  
nutrior : magis et magis fit beata quotannis.  
huius nam domini colunt me deumque salutant  
pauperis tuguri pater filiusque adulescens,  
alter assidua cavens diligentia, ut herba,  
aspera ut rubus a meo sit remota sacello,  
alter parva manu ferens saepe munera larga.  
florido mihi ponitur picta vere corolla,  
primitus tenera virens spica mollis arista,

## DE VITA RUSTICA.

luteae violae mihi lacteumque papaver  
pallentesque cucurbitae et suave olentia mala,  
uva pampinea et rubens educata sub umbra.  
sanguine haec etiam mihi—sed tacebitis—arma  
barbatus linit hirculus cornipesve capella.  
pro quis mutua honoribus nunc necesse Priapo est  
praestare et domini hortulum vineamque tueri.  
quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.  
vicinus prope dives est neglegensque Priapus :  
inde sumite, semita haec deinde vos feret ipsa.

53.

*HORATII.*

O NATA mecum consule Manlio,  
seu tu querellas sive geris iocos  
seu rixam et insanos amores  
seu facilem, pia testa, somnum,  
quocumque lectum nomine Massicum  
servas, moveri digna bono die,  
descende, Corvino iubente  
promere languidiora vina.  
non ille, quamquam Socraticis madet  
sermonibus, te negleget horridus :  
narratur et prisci Catonis  
saepe mero caluisse virtus.  
tu lene tormentum ingenio admoves  
plerumque duro ; tu sapientium  
curas et arcanum iocoso  
consilium retegis Lyaeo ;  
tu spem reducis mentibus anxiis  
viresque et addis cornua pauperi,

## DE VITA RUSTICA

post te neque iratos trementi  
regum apices neque militum arma.  
te Liber et, si laeta aderit, Venus  
segnesque nodum solvere Gratiae  
vivaeque producent lucernae,  
dum rediens fugat astra Phoebus.

54.

### *EIUSDEM.*

INTEGER vitae scelerisque purus  
non eget Mauris iaculis neque arcu  
nec venenatis gravida sagittis,

Fusce, pharetra,  
sive per Syrtis iter aestuosas,  
sive fracturus per inhospitalem  
Caucasum vel quae loca fabulosus  
lambit Hydaspes.

namque me silva lupus in Sabina,  
dum meam canto Lalagen et ultra  
terminum curis vagor expeditis,  
fugit inermem.

quale portentum neque militaris  
Daunias latis alit aesculetis,  
nec Iubae tellus generat, leonum  
arida nutrix.

pone me, pigris ubi nulla campis  
arbor aestiva recreatur aura,  
quod latus mundi nebulae malusque

Iuppiter urget ;  
pone sub curru nimium propinqui  
solis in terra domibus negata ;  
dulce ridentem Lalagen amabo,  
dulce loquentem.



## DE VITA RUSTICA

55.

### TIBERIANI.

AMNIS ibat inter arva valle fusus frigida,  
luce ridens calculorum, flore pictus herbido.  
caerulas superne laurus et virecta myrtea  
leniter motabat aura blandiente sibilo.  
subter autem molle gramen flore adulto creverat :  
tum croco solum rubebat et lucebat liliis  
et nemus fragrabat omne violarum de spiritu.  
inter ista dona veris gemmeasque gratias  
omnium regina odorum vel colorum Lucifer  
aureo flore eminebat cura Cypridis rosa.  
roscidum nemus rigebat inter uda gramina :  
fonte crebro murmurabant hinc et inde rivuli,  
quae fluenta labibunda guttis ibant lucidis.  
antra muscus et virentes intus hederæ vinxerant.  
has per umbras omnis ales plus canora quam putes  
cantibus vernis strepebat et susurris dulcibus ;  
hic loquentis murmur amnis concinebat frondibus,  
quas melos vocalis auræ, musa zephyri, moverat.  
sic euntem per virecta pulcra odora et musica  
ales amnis aura lucus flos et umbra iuverat.

56.

### VERGILII.

EXTINCTUM Nymphae crudeli funere Daphnim  
flebant ; vos coryli testes et flumina Nymphis ;  
cum complexa sui corpus miserabile nati  
atque deos atque astra vocat crudelia mater.  
non ulli pastos illis egere diebus  
frigida, Daphni, boves ad flumina ; nulla nec amnem  
libavit quadrupes nec graminis attigit herbam.

## DE VITA RUSTICA

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones  
interitum montesque feri silvaeque locuntur.  
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris  
instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi  
et foliis lentas intexere mollibus hastas.  
vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,  
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,  
tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt,  
ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.  
grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,  
infelix lolium et steriles nascuntur avenae ;  
pro molli viola, pro purpureo narcisso,  
carduos et spinis surgit paliurus acutis.  
spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,  
pastores ; mandat fieri sibi talia Daphnis ;  
et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen :  
' Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,  
formosi pecoris custos, formosior ipse.'

57.

*CLAUDIANI.*

FELIX, qui patriis aevum transegit in agris,  
ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem :  
qui baculo nitens, in qua reptavit arena,  
unius numeret secula longa casae.  
illum non vario traxit fortuna tumultu,  
nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.  
non freta mercator tremuit, non classica miles :  
non rauci lites pertulit ille fori.  
indocilis rerum, vicinae nescius urbis,  
adspectu fruitur liberiore poli.  
frugibus alternis, non consule, computat annum :  
autumnum pomis, ver sibi flore notat.

## DE VITA RUSTICA

idem condit ager soles idemque reducit,  
metiturque suo rusticus orbe diem ;  
ingentem meminit parvo qui germine quercuni,  
aequaevumque videt consenuisse nemus :  
proxima cui nigris Verona remotior Indis,  
Benacumque putat litora rubra lacum ;  
sed tamen indomitae vires, firmisque lacertis  
aetas robustum tertia cernit avum.  
erret, et extremos alter scrutetur Iberos ;  
plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

### 58. *HORATII.*

PERSICOS odi, puer, apparatus,  
displicent nexae philyra coronae,  
mitte sectari, rosa quo locorum  
sera moretur.  
simplici myrto nihil adlabores  
sedulus curo : neque te ministrum  
dedecet myrtus neque me sub arta  
vite bibentem.

### 59. *EIUSDEM.*

QUID bellicosus Cantaber et Scythes,  
Hirpine Quincti, cogitet Hadria  
divisus obiecto, remittas  
quaerere, nec trepides in usum  
poscentis aevi pauca : fugit retro  
levis iuventas et decor, arida  
pellente lascivos amores  
canitie facilemque somnum.

## DE PEREGRINATIONE.

non semper idem floribus est honor  
vernīs neque uno luna rubens nitet  
    vultu : quid aeternis minorem  
        consiliis animum fatigas ?  
cur non sub alta vel platano vel hac  
pinu iacentes sic temere et rosa  
    canos odorati capillos,  
    dum licet, Assyriaque nardo  
potamus uncti ? dissipat Euhius  
curas edacis. quis puer ocius  
    restinguet ardentis Falerni  
    pocula praetereunte lympha ?  
quis devium scortum eliciet domo  
Lyden ? eburna, dic age, cum lyra  
    maturet, incomptum Lacaenae  
    more comas religata nodum.

60.

### CATULLI.

IAM ver egelidos refert tepores,  
iam caeli furor aequinoctialis  
iucundis Zephyri silesceat auris.  
linquantur Phrygii, Catulle, campi  
Nicaeaeque ager uber aestuosae :  
ad claras Asiae volemus urbes.  
iam mens praetrepidans avet vagari,  
iam laeti studio pedes vigescunt.  
o dulces comitum valetē coetus,  
longe quos simul a domo profectos  
diversae variae viae reportant.

## DE PEREGRINATIONE.

61.

*HORATII.*

IAM veris comites, quae mare temperant,  
impellunt animae lintea Thraciae ;  
iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt  
hiberna nive turgidi.

nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,  
infelix avis et Cecropiae domus  
aeternum opprobrium, quod male barbaras  
regum est ultra libidines.

dicunt in tenero gramine pinguium  
custodes ovium carmina fistula,  
delectantque deum, cui pecus et nigri  
colles Arcadiae placent.

adduxere sitim tempora, Vergili :  
sed pressum Calibus ducere Liberum  
si gestis, iuvenum nobilium cliens,  
nardo vina merebere.

nardi parvus onyx eliciet cadum,  
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,  
spes donare novas largus amaraque  
curarum eluere efficax.

ad quae si properas gaudia, cum tua  
velox merce veni : non ego te meis  
immunem meditor tinguere poculis,  
plena dives ut in domo.

verum pone moras et studium lucri,  
nigrorumque memor, dum licet, ignium  
misce stultitiam consiliis brevem :

dulce est desipere in loco.

## DE PEREGRINATIONE.

### 62. *INCERTI AUCTORIS.*

HEIA, viri, nostrum reboans echo sonet heia !  
arbiter effusi late maris ore sereno  
placatum stravit pelagus posuitque procellam,  
edomitique vago sederunt pondere fluctus.  
heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia !  
annisu parili tremat ictibus acta carina.  
nunc dabit arridens pelago concordia caeli  
ventorum motu praegnanti currere velo.  
heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia !  
aequora prora secet delphinis aemula saltu  
atque gemat largum, promat seseque lacertis,  
pone trahens canum deducat et orbita sulcum.  
heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia !  
persultet Phorci chorus aequora : nos tamen heia.  
convulsum remis spumet mare : nos tamen heia.  
vocibus adsiduis litus resonet 'tamen heia.'

### 63.

### *HORATII.*

IMPIOS parrae recinentis omen  
ducat et praegnas canis aut ab agro  
rava decurrens lupa Lanuvino  
fetaque volpes.  
rumpat et serpens iter institutum,  
si per obliquom similis sagittae  
terruit mannos. ego cui timebo  
providus auspex,  
antequam stantis repetat paludes  
imbrium divina avis imminetum,  
oscinem corvum prece suscitabo  
solis ab ortu.

## DE PEREGRINATIONE.

sis licet felix, ubicumque mavis,  
et memor nostri, Galatea, vivas,  
teque nec laevos vetat ire picus  
nec vaga cornix.

sed vides, quanto trepidet tumultu  
pronus Orion. ego quid sit ater  
Hadriae novi sinus et quid albus  
peccet Iapyx.

hostium uxores puerique caecos  
sentiant motus orientis Austri et  
aequoris nigri fremitum et trementis  
verbere ripas.

sic et Europe niveum doloso  
credidit tauro latus et scatentem  
beluis pontum mediasque fraudes  
palluit audax.

nuper in pratis studiosa florum et  
debitae Nymphis opifex coronae,  
nocte sublustri nihil astra praeter  
vidit et undas.

quae simul centum tetigit potentem  
oppidis Creten, 'pater, o relictum  
filiae nomen pietasque' dixit

'victa furore!

unde quo veni? levis una mors est  
virginum culpa. vigilansne ploro  
turpe commissum, an vitiis carentem  
ludit imago

vana, quae porta fugiens eburna  
somnia ducit? meliusne fluctus  
ire per longos fuit, an recentis  
carpere flores?

siquis infamem mihi nunc iuvenum

## DE PEREGRINATIONE.

dedat iratae, lacerare terro et  
frangere enitar modo multum amati  
cornua monstri.

impudens liqui patrios penates,  
impudens Orcum moror. o deorum  
siquis haec audis, utinam inter errem  
nuda leones!

antequam turpis macies decentis  
occupet malas teneraeque sucus  
defluat praedae, speciosa quaero  
pascere tigris.

vilis Europe, pater urget absens,  
quid mori cessas! potes hac ab orno  
pendulum zona bene te secuta  
laedere collum.

sive te rupes et acuta leto  
saxa delectant, age te procellae  
crede veloci, nisi erile mavis  
carpere pensum

regius sanguis dominaeque tradi  
barbarae paelex.' aderat querenti  
perfidum ridens Venus et remisso  
filius arcu.

mox, ubi lusit satis, 'abstineto'  
dixit 'irarum calidaeque rixae,  
cum tibi invisus laceranda reddet  
cornua taurus.

uxor invicti Iovis esse nescis:  
mitte singultus; bene ferre magnam  
disce fortunam: tua sectus orbis  
nomina ducet.'



64.

*EIUSDEM.*

VITAS hinnuleo me similis, Chloe,  
 quaerenti pavidam montibus aviis  
     matrem non sine vano  
     aurarum et silvae metu.  
 nam seu mobilibus vepris inhorruit  
 ad ventum foliis, seu virides rubum  
     dimovere lacertae,  
     et corde et genibus tremit.  
 atqui non ego te, tigris ut aspera  
 Gaetulusve leo, frangere persequor :  
     tandem desine matrem  
     tempestiva sequi viro.

65.

*EIUSDEM.*

QUID fles, Asterie, quem tibi candidi  
 primo restituent vere Favonii  
     Thyna merce beatum,  
     constantis iuvenem fidei  
 Gygen ? ille Notis actus ad Oricum  
 post insana Caprae sidera frigidas  
     noctes non sine multis  
     insomnis lacrimis agit.  
 atqui sollicitae nuntius hospitae,  
 suspirare Chloen et miseram tuis  
     dicens ignibus uri,  
     temptat mille vafer modis.  
 ut Proetum mulier perfida credulum  
 falsis impulerit criminibus nimis  
     casto Bellerophontae  
     maturare necem refert :

## DE IOCIS.

narrat paene datum Pelea Tartaro,  
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens ;  
    et peccare docentis  
        fallax historias monet ;  
frustra : nam scopulis surdior Icarum  
voces audit adhuc integer. at tibi  
    ne vicinus Enipeus  
        plus iusto placeat cave ;  
quamvis non alius flectere equom sciens  
aeque conspicitur gramine Martio,  
    nec quisquam citus aequo  
        Tusco denatat alveo ;  
prima nocte domum claude neque in vias  
sub cantu querulae despice tibiae,  
    et te saepe vocanti  
        duram difficilis mane.

66.

### *EIUSDEM.*

DONEC gratus eram tibi,  
    nec quisquam potior brachia candidae  
cervici iuvenis dabat,  
    Persarum vigui rege beatior.  
' donec non alia magis  
    arsisti, neque erat Lydia post Chloen,  
multi Lydia nominis  
    Romana vigui clarior Iliā.  
me nunc Thraessa Chloe regit,  
    dulcis docta modos et citharae sciens,  
pro qua non metuum mori,  
    si parcent animae fata superstiti.  
' me torret face mutua  
    Thurini Calais filius Ornyti,

## DE IOCIS.

pro quo bis patiar mori,  
si parcent puero fata superstiti.'  
quid si prisca redit Venus  
diductosque iugo cogit aeneo,  
si flava excutitur Chloe  
reiectaeque patet ianua Lydiae?  
'quamquam sidere pulchrior  
ille est, tu levior cortice et improbo  
iracundior Hadria,  
tecum vivere amem, tecum obeam libens.'

67.

### CATULLI.

O COLONIA, quae cupis ponte ludere longo,  
et salire paratum habes, sed vereris inepta  
crura ponticuli axulis stantis in redivivis,  
ne supinus eat cavaque in palude recumbat ;  
sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,  
in quo vel Salisubsilis sacra suscipiantur :  
munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.  
quendam municipem meum de tuo volo ponte  
ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,  
verum totius ut lacus putidaeque paludis  
lividissima maximeque est profunda vorago.  
insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar  
bimuli tremula patris dormientis in ulna.  
quoi cum sit viridissimo nupta flore puella  
(et puella tenellulo delicatior haedo,  
adservanda nigerrimis diligentius uvis),  
ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni,  
nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus  
in fossa Liguri iacet supernata securi,

## DE IOCIS.

tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam ;  
talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,  
ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.  
nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum  
si pote stolidum repente excitare veterum  
et supinum animum in gravi derelinquere caeno,  
ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

68.

### *HORATII.*

NE sit ancillae tibi amor pudori,  
Xanthia Phoceu : prius insolentem  
serva Briseis niveo colore  
    movit Achillem ;  
movit Aiacem Telamone natum  
forma captivae dominum Tecmessae ;  
arsit Atrides medio in triumpho  
    virgine rapta,  
barbarae postquam cecidere turmae  
Thessalo victore et ademptus Hector  
tradidit fessis leviora tolli  
    Pergama Graiis.  
nescias, an te generum beati  
Phyllidis flavae decorent parentes ;  
regium certe genus et penatis  
    maeret iniquos.  
crede non illam tibi de scelesta  
plebe delectam, neque sic fidelem,  
sic lucro aversam potuisse nasci  
    matre pudenda.  
brachia et voltum teretisque suras  
integer laudo : fuge suspicari

## DE DESIDERIO.

cuius octavom trepidavit aetas  
claudere lustrum.

69.

CATULLI.

PHASELLUS ille quem videtis, hospites,  
ait fuisse navium celerrimus,  
neque ullius natantis impetum trabis  
nequisse praeterire, sive palmulis  
opus foret volare sive linteo.  
et hoc negat minacis Hadriatici  
negare litus insulasve Cycladas  
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam  
Propontida trucemve Ponticum sinum,  
ubi iste post phasellus antea fuit  
comata silva : nan Cytorio in iugo  
loquente saepe sibilum edidit coma.  
Amastri Pontica et Cytore buxifer,  
tibi haec fuisse et esse cognitissima  
ait phasellus : ultima ex origine  
tuo stetisse dicit in cacumine,  
tuo imbuisse palmulas in aequore,  
et inde tot per inpotentia freta  
erum tulisse, laeva sive dextera  
vocaret aura, sive utrumque Iuppiter  
simul secundus incidisset in pedem ;  
neque ulla vota litoralibus deis  
sibi esse facta, cum veniret a mari  
novissimo hunc ad usque limpidum lacum.  
sed haec prius fuere : nunc recondita  
senet quiete seque dedicat tibi,  
gemelle Castor et gemelle Castoris.

## DE DESIDERIO.

70.

*HORATII.*

SOLVITUR acris hiemps grata vice veris et Favoni,  
trahuntque siccas machinae carinas,  
ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,  
nec prata canis albicant pruinis.  
iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna,  
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes  
alternò terram quatunt pede, dum gravis Cyclopum  
Volcanus ardens visit officinas.  
nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto  
aut flore, terrae quem ferunt solutae ;  
nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,  
seu poscat agna sive malit haedo.  
pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas  
regumque turris. o beate Sesti,  
vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.  
iam te premet nox fabulaeque Manes  
et domus exilis Plutonia : quo simul mearis,  
nec regna vini sortiere talis,  
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus  
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

71.

*EIUSDEM.*

DIFFUGERE nives, redeunt iam gramina campis  
arboribusque comae,  
mutat terra vices et decrescentia ripas  
flumina praetereunt,  
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet  
ducere nuda choros.  
immortalia ne speres, monet annus et alnum  
quae rapit hora diem.

## DE DESIDERIO.

frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas,  
interitura, simul  
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox  
bruma recurrit iners.  
damna tamen celeres reparant caelestia lunae :  
nos, ubi decidimus,  
quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,  
pulvis et umbra sumus.  
quis scit an adiciant hodiernae crastina summae  
tempora di superi ?  
cuncta manus avidas fugient heredis, amico  
quae dederis animo.  
cum semel occideris et de te splendida Minos  
fecerit arbitria,  
non, Torquate, genus, non te facundia, non te  
restituet pietas :  
infernis neque enim tenebris Diana pudicum  
liberat Hippolytum,  
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro  
vincula Pirithoo.

72.

### *EIUSDEM.*

NON semper imbres nubibus hispidos  
manant in agros aut mare Caspium  
vexant inaequales procellae  
usque, nec Armeniis in oris,  
amice Valgi, stat glacies iners  
menses per omnis aut Aquilonibus  
querceta Gargani laborant  
et foliis viduantur orni.  
tu semper urges flebilibus modis

## DE DESIDERIO.

Mysten ademptum, nec tibi Vespero  
surgente decedunt amores  
nec rapidum fugiente solem.  
at non ter aevo functus amabilem  
ploravit omnis Antilochum senex  
annos, nec inpubem parentes  
Troilon aut Phrygiae sorores  
flevere semper. desine mollium  
tandem querellarum, et potius nova  
cantemus Augusti tropaea  
Caesaris et rigidum Niphaten  
Medumque flumen gentibus additum  
victis minores volvere vertices,  
intraque praescriptum Gelonos  
exiguus equitare campis.

73.

### *EIUSDEM.*

AEQUAM memento rebus in arduis  
servare mentem, non secus in bonis  
ab insolenti temperatam  
laetitia, moriture Delli,  
seu maestus omni tempore vixeris,  
seu te in remoto gramine per dies  
festos reclinatum bearis  
interiore nota Falerni.  
quo pinus ingens albaque populus  
umbram hospitem consociare amant  
ramis? quid obliquo laborat  
lympha fugax trepidare rivo?  
huc vina et unguenta et nimium brevis  
flores amoenae ferre iube rosae,



## DE DESIDERIO.

dum res et aetas et sororum  
  fila trium patiuntur atra.  
cedes coemptis saltibus et domo  
villaque, flavos quam Tiberis lavit,  
  cedes, et extractis in altum  
  divitiis potietur heres.  
divesne prisco natus ab Inacho,  
nil interest, an pauper et infima  
  de gente sub divo moreris,  
  victima nil miserantis Orci:  
omnes eodem cogimur, omnium  
versatur urna serius ocius  
  sors exitura et nos in aeternum  
  exilium inpositura cumbae.

74.

### *EIUSDEM.*

QUIS desiderio sit pudor aut modus  
tam cari capitis? praecipe lugubris  
cantus, Melpomene, cui liquidam pater  
  vocem cum cithara dedit.  
ergo Quintilium perpetuus sopor  
urget? cui Pudor et Iustitiae soror,  
incorrupta Fides, nudaque Veritas  
  quando ullum inveniet parem?  
multis ille bonis flebilis occidit,  
nulli flebilior quam tibi, Vergili.  
tu frustra pius, heu, non ita creditum  
  poscis Quintilium deos.  
quid si Threicio blandius Orpheo  
auditam moderere arboribus fidem,  
num vanae redeat sanguis imagini,  
  quam virga semel horrida

## DE DESIDERIO

non lenis precibus fata recludere  
nigro compulerit Mercurius gregi?  
durum : sed levius fit patientia  
quicquid corrigere est nefas.

75.

CATULLI.

ETSI me adsiduo confectum cura dolore  
sevocat a doctis, Hortale, virginibus,  
nec potis est dulcis Musarum expromere fetus  
mens animi, tantis fluctuat ipsa malis—  
namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris  
pallidulum manans adluit unda pedem,  
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus  
ereptum nostris obterit ex oculis.  
Nunquam ego te primae mihi ademptum in flore iuventae,  
nunquam ego te, vita frater amabilior,  
aspiciam posthac. at certe semper amabo,  
semper maesta tua carmina morte canam,  
qualia sub densis ramorum concinit umbris  
Daulias absumpti fata gemens Ityli —  
sed tamen in tantis maeroribus, Hortale, mitto  
haec expressa tibi carmina Battiadae,  
ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis  
effluxisse meo forte putes animo,  
ut missum sponsi furtivo munere malum  
procurrit casto virginis e gremio,  
quod miserae oblitae molli sub veste locatum,  
dum adventu matris prosilit, excutitur :  
atque illud prono praeceps agitur decursu,  
huic manat tristi conscius ore rubor.

## DE DESIDERIO.

76.

### *EIUSDEM.*

LUGETE, o Veneres Cupidinesque,  
et quantumst hominum venustiorum.  
passer mortuos est meae puellae,  
passer, deliciae meae puellae,  
quem plus illa oculis suis amabat.  
nam mellitus erat suamque norat  
ipsam tam bene quam puella matrem ;  
nec sese a gremio illius movebat,  
sed circumsiliens modo huc modo illuc  
ad solam dominam usque pipilabat :  
qui nunc it per iter tenebricosum  
illuc, unde negant redire quemquam.  
at vobis male sit, malae tenebrae  
Orci, quae omnia bella devoratis :  
tam bellum mihi passerem abstulistis.  
vae factum male ! vae miselle passer !  
tua nunc opera meae puellae  
flendo turgiduli rubent ocelli.

77.

### *STATII.*

CRIMINE quo merui, iuvenis placidissime divom,  
quove errore miser, donis ut solus egerem,  
Somne, tuis ? tacet omne pecus volucresque feraeque  
et simulant fessos curvata cacumina somnos,  
nec trucibus fluviis idem sonus ; occidit horror  
aequoris, et terris maria acclinata quiescunt.  
septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras  
stare genas ; totidem Oetaeae Paphiaeque renident  
lampades et totiens nostros Tithonia questus

## DE DESIDERIO.

praeterit et gelido spargit miserata flagello.  
unde ego sufficiam? non sunt mihi lumina mille,  
quae sacer alterna tantum statione tenebat  
Argus et haud umquam vigilabat corpore toto.  
at nunc heu aliquis longa sub nocte puellae  
brachia nexa tenens ultro te, Somne, repellit.  
inde veni: nec te totas infundere pennas  
luminibus compello meis; hoc turba precetur  
laetior: extremo me tange cacumine virgae,  
sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

78.

### CATULLI.

PAENE insularum, Sirmio, insularumque  
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis  
marique vasto fert uterque Neptunus,  
quam te libenter quamque laetus invisio,  
vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos  
liquisse campos et videre te in tuto.  
o, quid solutis est beatius curis,  
cum mens onus reponit, ac peregrino  
labore fessi venimus larem ad nostrum  
desideratoque acquiescimus lecto!  
hoc est, quod unumst pro laboribus tantis.  
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude:  
gaudete vosque, o liquidae lacus undae;  
ridete, quidquid est domi cachinnorum

79.

### SENECAE.

VERUM est, an timidos fabula decipit,  
umbras corporibus vivere conditis:

## DE DESIDERIO

cum coniunx oculis inposuit manum  
supremusque dies solibus obstitit  
et tristis cineres urna coercuit ?  
non prodest animam tradere funeri,  
sed restat miseris vivere longius ?  
an toti morimur nullaque pars manet  
nostri, cum profugo spiritus halitu  
inmixtus nebulis cessit in aera  
et nudum tetigit subdita fax latus ?  
post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,  
velocis spatii meta novissima.  
spem ponant avidi, solliciti metum.  
quaeris quo iaceas post obitum loco ?  
quo non nata iacent. Taenara et aspero  
regnum sub domino limen et obsidens  
custos non facili Cerberus ostio  
rumores vacui verbaque inania  
et par sollicito fabula somnio.

80.

### CATULLI.

MULTAS per gentes et multa per aequora vectus  
advenio has miseris, frater, ad inferias,  
ut te postremo donarem munere mortis  
et mutam nequiquam adloquerer cinerem,  
quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,  
heu miser indigne frater adempte mihi.  
nunc tamen interea haec prisco quae more parentum  
tradita sunt tristes munera ad inferias,  
accipe fraterno multum manantia fletu,  
atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

## DE ITINERIBUS.

81.

*HORATII.*

SIC te diva potens Cypri,  
 sic fratres Helenae, lucida sidera,  
 ventorumque regat pater  
 obstrictis aliis praeter Iapyga,  
 navis, quae tibi creditum  
 debes Vergilium, finibus Atticis  
 reddas incolumem precor  
 et serves animae dimidium meae.  
 illi robur et aes triplex  
 circa pectus erat, qui fragilem truci  
 commisit pelago ratem  
 primus, nec timuit praecipitem Africum  
 decertantem Aquilonibus  
 nec tristic Hyadas nec rabiem Noti,  
 quo non arbiter Hadriae  
 maior, tollere seu ponere volt freta.  
 quem mortis timuit gradum,  
 qui siccis oculis monstra natantia,  
 qui vidit mare turbidum et  
 infamis scopulos Acroceraunia?  
 nequiquam deus abscidit  
 prudens Oceano dissociabili  
 terras, si tamen impiae  
 non tangenda rates transiliunt vada.  
 audax omnia perpeti  
 gens humana ruit per vetitum nefas:  
 audax Iapeti genus  
 ignem fraude mala gentibus intulit;  
 post ignem aetheria domo  
 subductum macies et nova febrium  
 terris incubuit cohors

## DE ITINERIBUS.

semotique prius tarda necessitas  
leti corripuit gradum.  
expertus vacuum Daedalus aera  
pinnis non homini datis ;  
perrupit Acheronta Hercules labor.  
nil mortalibus arduist ;  
caelum ipsum petimus stultitia neque  
per nostrum patimur scelus  
iracunda Iovem ponere fulmina.

82.

### SENECAE.

AUDAX nimium qui freta primus  
rate tam fragili perfida rupit,  
terrasque suas post terga videns  
animam levibus credidit auris  
dubioque secans aequora cursu  
potuit tenui fidere ligno.  
inter vitae mortisque vias  
nimium gracili limite ducto.  
candida nostri saecula patres  
videre procul fraude remota.  
sua quisque piger litora tangens  
patrioque senex factus in arvo  
parvo dives, nisi quas tulerat  
natale solum, non norat opes.  
nondum quisquam sidera norat  
stellisque quibus pingitur aether  
non erat usus, nondum pluvias  
Hyadas poterat vitare ratis.  
non Oleniae lumina caprae  
nec quae sequitur flectitque senex

## DE ITINERIBUS.

Attica tardus plaustra Bootes,  
nondum Boreas, nondum Zephyrus  
nomen habebant.

ausus Tiphys pandere vasto  
carbasa ponto legesque novas  
scribere ventis.

bene dissaepiti foedera mundi  
traxit in unum Thessala pinus  
iussitque pati verbera pontum  
partemque metus fieri nostri  
mare sepositum.

nunc iam cessit pontus et omnes  
patitur leges. non Palladia  
compacta manu regum referens  
inclita remos quaeritur Argo.  
quaelibet altum cumba pererrat.  
terminus omnis motus et urbes  
muros terra posuere nova :  
nil qua fuerat sede reliquit  
pervius orbis.

Indus gelidum potat Araxen,  
Albin Persae Rhenumque bibunt.  
venient annis saecula seris  
quibus Oceanus vincula rerum  
laxet et ingens pateat tellus  
Tethysque novos detegat orbes  
nec sit terris ultima Thule.

83.

*HORATII.*

LAUDABUNT alii claram Rhodon aut Mytilenen  
aut Ephesum bimarisque Corinthi



## DE ITINERIBUS.

moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos  
insignis aut Thessala Tempe ;  
sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem  
carmine perpetuo celebrare et  
undique decerptam fronti praeponere olivam ;  
plurimus in Iunonis honorem  
aptum dicet equis Argos ditisque Mycenae :  
me nec tam patiens Lacedaemon  
nec tam Larisae percussit campus opimae,  
quam domus Albunae resonantis  
et praeceptis Anio ac Tiburni lucus et uda  
mobilibus pomaria rivis.  
albus ut obscuro deterget nubila caelo  
saepe Notus neque parturit imbris  
perpetuos, sic tu sapiens finire memento  
tristitiam vitaeque labores  
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis  
castra tenent seu densa tenebit  
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque  
cum fugeret, tamen uda Lyaeo  
tempora populea fertur vinxisse corona,  
sic tristis affatus amicos :  
'quo nos cumque feret melior fortuna parente,  
ibimus, o socii comitesque.  
nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro ;  
certus enim promisit Apollo  
ambiguam tellure nova Salamina futuram.  
o fortes peioraque passi  
mecum saepe viri, nunc vino pellite curas :  
cras ingens iterabimus aequor.'

## DE VITA DIRIGENDA

84.

### *EIUSDEM.*

VIDES ut alta stet nive candidum  
Soracte, nec iam sustineant onus  
    silvae laborantes geluque  
        flumina constiterint acuto?  
dissolve frigus ligna super foco  
large reponens atque benignius  
    deprome quadrimum Sabina,  
        o thaliarche, merum diota:  
permitte divis cetera, qui simul  
stravere ventos aequore fervido  
    deproeliantis, nec cupressi  
        nec veteres agitantur orni.  
quid sit futurum cras, fuge quaerere, et  
quem fors dierum cumque dabit, lucro  
    appone, nec dulcis amores  
        sperne puer neque tu choreas,  
donec virenti canities abest  
morosa. nunc et campus et areae  
    lenesque sub noctem susurri  
        composita repetantur hora,  
nunc et latentis proditor intimo  
gratus puellae risus ab angulo  
    pignusque dereptum lacertis  
        aut digito male pertinaci.

85.

### *EIUSDEM.*

AELI vetusto nobilis ab Lamo,  
(quando et priores hinc Lamias ferunt  
    denominatos et nepotum  
        per memores genus omne fastos

## DE VITA DIRIGENDA

auctore ab illo ducit originem,  
qui Formiarum moenia dicitur  
    princeps et innantem Maricae  
    litoribus tenuisse Lirim  
late tyrannus) cras foliis nemus  
multis et alga litus inutili  
    demissa tempestas ab Euro  
    sternet, aquae nisi fallit augur  
annosa cornix. dum potes, aridum  
compone lignum: cras Genium mero  
    curabis et porco bimenstri  
    cum famulis operum solutis.

86.

### *BOETHII.*

FELIX qui potuit boni  
fontem visere lucidum :  
felix qui potuit gravis  
terrae solvere vincula.  
quondam funera coniugis  
vates Threicius gemens,  
postquam flebilibus modis  
silvas currere, mobiles  
amnes stare coegerat,  
cum flagrantior intima  
fervor pectoris ureret,  
nec qui cuncta subegerant,  
mulcerent dominum modi,  
immites Superos querens,  
infernās adiit domos.  
illic blanda sonantibus  
chordis carmina temperans,

## DE VITA DIRIGENDA.

quicquid praecipuis deae  
matris fontibus hauserat,  
quod luctus dabat impotens,  
quod luctum geminans amor,  
deflet, Taenara commovens,  
et dulci veniam prece  
umbrarum dominos rogat.  
tandem, 'vincimur,' arbiter  
umbrarum miserans ait :  
' donemus comitem viro  
emptam carmine coniugem ;  
sed lex dona coerceat,  
ne, dum Tartara liquerit  
fas sit lumina flectere.'  
quis legem det amantibus ?  
major lex amor est sibi.  
heu, noctis prope terminos  
Orpheus Eurydicen suam  
vidit, perdidit, occidit.  
vos haec fabula respicit,  
quicumque in superum diem  
mentem ducere quaeritis.  
nam qui Tartareum in specus  
victus lumina flexerit,  
quicquid praecipuom trahit  
perdit, dum videt Inferos.

87.

*HORATII.*

TU ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi  
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios  
temptaris numeros. ut melius, quicquid erit, pati,

## DE VITA DIRIGENDA.

seu plaris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,  
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
Tyrrhenum. sapias, vina liques et spatio brevi  
spem longam reseces; dum loquimur, fugerit invida  
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

88.

### *EIUSDEM.*

NOLIS longa ferae bella Numantiae,  
nec durum Hannibalem nec Siculum mare  
Poeno purpureum sanguine mollibus  
aptari citharae modis,  
nec saevos Lapithas et nimium mero  
Hylaeum domitosque Herculea manu  
Telluris iuvenes, unde periculum  
fulgens contremuit domus  
Saturni veteris: tuque pedestribus  
dices historiis proelia Caesaris,  
Maecenas, melius ductaque per vias  
regum colla minacium.  
me dulcis dominae Musa Licymniae  
cantus, me voluit dicere lucidum  
fulgentis oculos et bene mutuis  
fidum pectus amoribus,  
quam nec ferre pedem dedecuit choris  
nec certare ioco nec dare brachia  
ludentem nitidis virginibus sacro  
Dianae celebris die.  
num tu quae tenuit dives Achaemenes  
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes  
permutare velis crine Licymniae,  
plenas aut Arabum domos,

## DE VITA DIRIGENDA.

cum flagrantia detorquet ad oscula  
cervicem aut facili saevitia negat  
quae poscente magis gaudeat eripi,  
interdum rapere occupet ?

89.

### SENECAE.

REGEM non faciunt opes,  
non vestis Tyriae color,  
non frontis nota regiae,  
non auro nitidae fores :  
non quicquid fodit Occidens  
aut unda Tagus aurea  
claro devehit alveo,  
non quicquid Libycis terit  
fervens area messibus.  
rex est qui posuit metus  
et diri mala pectoris,  
quem non ambitio inpotens  
et numquam stabilis favor  
volgi praecipitis movet.  
qui tuto positus loco  
infra se videt omnia  
occurritque suo libens  
fato nec queritur mori.  
stet quicumque volet potens  
aulae culmine lubrico :  
me dulcis saturet quies ;  
obscuro positus loco  
leni perfruar otio ;  
nullis nota Quiritibus  
aetas per tacitum fluat.

## DE MORTALITATE.

sic cum transierint mei  
nullo cum strepitu dies,  
plebeius moriar senex.  
illi mors gravis incubat,  
qui notus nimis omnibus,  
ignotus moritur sibi.

90.

### *HORATII.*

SEPTIMI, Gadis aditure mecum et  
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et  
barbaras Syrtis, ubi Maura semper  
aestuat unda :

Tibur Argeo positum colono  
sit meae sedes utinam senectae,  
sit modus lasso maris et viarum  
militiaeque.

unde si Parcae prohibent iniquae,  
dulce pellitis ovibus Galaesi  
flumen et regnata petam Laconi  
rura Phalantho.

ille terrarum mihi praeter omnis  
angulus ridet, ubi non Hymetto  
mella decedunt viridique certat  
baca Venafro,

ver ubi longum tepidasque praebet  
Iuppiter brumas et amicus Aulon  
fertili Baccho minimum Falernis  
invidet uvis.

ille te mecum locus et beatae  
postulant arces, ibi tu calentem  
debita sparges lacrima favillam  
vatis amici.

# DE MORTALITATE.

91.

## EIUSDEM.

ILLE et nefasto te posuit die,  
quicumque primum et sacrilega manu  
    produxit, arbos, in nepotum  
        perniciem opprobriumque pagi;  
illum et parentis crediderim sui  
fregisse cervicem et penetralia  
    sparsisse nocturno cruore  
        hospitis; ille venena Colcha  
et quicquid usquam concipitur nefas  
tractavit, agro qui statuit meo  
    te, triste lignum, te caducum  
        in domini caput inmerentis.  
quid quisque vitet, numquam homini satis  
cautum est in horas. navita Bosporum  
    Poenus perhorrescit neque ultra  
        caeca timet aliunde fata,  
miles sagittas et celerem fugam  
Parthi, catenas Parthus et Italum  
    robur; sed improvisa leti  
        vis rapuit rapietque gentis.  
quam pæne furvae regna Proserpinae  
et iudicantem vidimus Aeacum  
    sedesque discriptas piorum et  
        Aeoliis fidibus querentem  
Sappho puellis de popularibus  
et te sonantem plenius aureo,  
    Alcaeae, plectro dura navis,  
        dura fugae mala, dura belli.  
utrumque sacro digna silentio  
mirantur umbrae dicere; sed magis  
    pugnans et exactos tyrannos



## DE MORTALITATE.

densum humeris bibit aure volgus.  
quid mirum, ubi illis carminibus stupens  
demittit atras belua centiceps

auris et intorti capillis

Eumenidum recreantur angues?  
quin et Prometheus et Pelopis parens  
dulci laborem decipitur sono

nec curat Orion leones

aut timidos agitare lyncas.

92.

### *EIUSDEM.*

RECTIUS vives, Licini, neque altum  
semper urgendo neque, dum procellas  
cautus horrescis, nimium premendo  
litus iniquom.

auream quisquis mediocritatem  
diligit, tutus caret obsoleti  
sordibus tecti, caret invidenda  
sobrius aula.

saepius ventis agitur ingens  
pinus et celsae graviore casu  
decidunt turres feriuntque summos  
fulgura montis.

sperat infestis, metuit secundis  
alteram sortem bene praeparatum  
pectus. informis hiemes reducit

Iuppiter, idem

summovet. non, si male nunc, et olim  
sic erit: quondam cithara tacentem  
suscitat musam neque semper arcum  
tendit Apollo.

## DE MORTALITATE

rebus angustis animosus atque  
fortis appare; sapienter idem  
contrahes vento nimium secundo  
turgida vela.

93.

### *EIUSDEM.*

EHEU, fugaces, Postume, Postume,  
labuntur anni, nec pietas moram  
    rugis et instanti senectae  
    adferet indomitaeque morti;  
non, si trecenis, quotquot eunt dies,  
amice, places inlacrimabilem  
    Plutona tauris, qui ter amplum  
    Geryonen Tityonque tristi  
compescit unda, scilicet omnibus,  
quicumque terrae munere vescimur,  
    enaviganda, sive reges  
    sive inopes erimus coloni.  
frustra cruento Marte carebimus  
fractisque rauci fluctibus Hadriae,  
    frustra per autumnos nocentem  
    corporibus metuemus Austrum.  
visendus ater flumine languido  
Cocytos errans et Danaï genus  
    infame damnatusque longi  
    Sisyphus Aeolides laboris.  
linquenda tellus et domus et placens  
uxor, neque harum, quas colis, arborum  
    te praeter invisas cupressos  
    ulla brevem dominum sequetur  
absumet heres Caecuba dignior

## DE MORTALITATE.

servata centum clavibus et mero  
tinguet pavementum superbo,  
pontificum potiore cenis.

94.

### *EIUSDEM.*

OTIUM divos rogat in patenti  
prensus Aegaeo, simul atra nubes  
condidit lunam neque certa fulgent  
sidera nautis ;  
otium bello furiosa Thrace,  
otium Medi pharetra decori,  
Grosophe, non gemmis neque purpura ve-  
nale neque auro.

non enim gazae neque consularis  
summovet lictor miseros tumultus  
mentis et curas laqueata circum  
tectata volantis.

vivitur parvo bene, cui paternum  
splendet in mensa tenui salinum,  
nec levis somnos timor aut cupido  
sordidus aufert.

quid brevi fortes iaculamur aevo  
multa? quid terras alio calentis  
sole mutamus? patriae quis exul  
se quoque fugit?

scandit aeratas vitiosa navis  
cura nec turmas equitum relinquit,  
ocior cervis et agente nimbos  
ocior Euro.

laetus in praesens animus quod ultrast  
oderit curare et amara lento

## DE SORTE HUMANA.

temperet risu: nihil est ab omni  
parte beatum.  
abstulit clarum cita mors Achillem,  
longa Tithonum minuit senectus,  
et mihi fors an tibi quod negarit  
porriget hora.  
te greges centum Siculaeque circum  
mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum  
apta quadrigis equa, te bis Afro  
murice tinctae  
vestiunt lanae: mihi parva rura et  
spiritum Graiae tenuem Camenae  
Parca non mendax dedit et malignum  
spernere volgus.

95.

### *EIUSDEM.*

NE forte credas interitura, quae  
longe sonantem natus ad Aufidum  
non ante volgatas per artis  
verba loquor socianda chordis,  
non, si priores Maeonius tenet  
sedes Homerus, Pindaricae latent  
Caeaeque et Alcaei minaces  
Stesichorique graves Camenae;  
nec siquid olim lusit Anacreon  
delevit aetas; spirat adhuc amor  
vivuntque commissi calores  
Aeoliae fidibus puellae.  
non sola comptos arsit adulteri  
crines et aurum vestibus inlitum  
mirata regalisque cultus

## DE SORTE HUMANA.

et comites Helene Lacaena;  
primusve Teucer tela Cydonio  
direxit arcu; non semel Ilios  
vexata: non pugnavit ingens  
Idomeneus Sthenelusve solus  
dicenda Musis proelia; non ferox  
Hector vel acer Deiphobus gravis  
excepit ictus pro pudicis  
coniugibus puerisque primus.  
vixere fortes ante Agamemnona  
multi; sed omnes inlacrimabiles  
urgentur ignotique longa  
nocte, carent quia vate sacro.  
paulum sepultae distat inertiae  
celata virtus. non ego te meis  
chartis inornatum sileri  
totve tuos patiar labores  
impune, Lolli, carpere lividas  
obliviones: est animus tibi  
rerumque prudens et secundis  
temporibus dubiisque rectus,  
vindex avarae fraudis et abstinens  
ducentis ad se cuncta pecuniae,  
consulque non unius anni,  
sed quotiens bonus atque fidus  
iudex honestum praetulit utili,  
reiecit alto dona nocentium  
vultu, per obstantis catervas  
explicuit sua victor arma.  
non possidentem multa vocaveris  
recte beatum; rectius occupat  
nomen beati, qui deorum  
muneribus sapienter uti

## DE SORTE HUMANA.

duramque callet pauperiem pati  
peiusque leto flagitium timet,  
non ille pro caris amicis  
aut patria timidus perire.

96.

### *BOETHII.*

CUM polo Phoebus roseis quadrigis  
lucem spargere coeperit,  
pallet albentes hebetata vultus  
flammis stella prementibus.  
cum nemo flatu Zephyri tepentis  
vernus inrubit rosis,  
spiret insanum nebulosus Auster,  
iam spinis abeat decus.  
saepe tranquillo radiat sereno  
inmotis mare fluctibus :  
saepe ferventes Aquilo procellas  
verso concitat aequore.  
rara si constat sua forma mundo,  
si tantas variat vices,  
crede fortunis hominum caducis,  
donis crede fugacibus.  
constat, aeterna positumque lege est,  
ut constet genitum nihil.

97.

### *HORATII.*

ODI profanum vulgus et arceo :  
favete linguis ; carmina non prius  
audita Musarum sacerdos  
virginibus puerisque canto.

## DE SORTE HUMANA.

regum timendorum in proprios greges,  
reges in ipsos imperium est Iovis,  
    clari Giganteo triumpho,  
    cuncta supercilio moventis.  
est ut viro vir latius ordinet  
arbusta sulcis, hic generosior  
    descendat in campum petitor,  
    moribus hic meliorque fama  
contendat, illi turba clientium  
sit maior : aequa lege necessitas  
    sortitur insignis et imos ;  
    omne capax movet urna nomen.  
detractus ensis cui super impia  
cervice pendet, non Siculae dapes  
    dulcem elaborabunt saporem,  
    non avium citharaeque cantus  
somnum reducent : somnus agrestium  
lenis virorum non humilis domos  
    fastidit umbrosamque ripam,  
    non Zephyris agitata tempe.  
desiderantem quod satis est neque  
tumultuosum sollicitat mare,  
    nec saevos Arcturi cadentis  
    impetus aut orientis Haedi,  
non verberatae grandine vineae  
fundusque mendax, arbore nunc aquas  
    culpante, nunc torrentia agros  
    sidera, nunc hiemes iniquas.  
contracta pisces aequora sentiunt  
iactis in altum molibus : huc frequens  
    caementa demittit redemptor  
    cum famulis dominusque terrae  
fastidiosus ; sed timor et minae

## DE SORTE HUMANA.

scandunt eodem quo dominus, neque  
decedit aerata triremi et  
    post equitem sedet atra cura.  
quodsi dolentem nec Phrygius lapis  
nec purpurarum sidere clarior  
    delenit usus nec Falerna  
    vitis Achaemeniumque costum,  
cur invidendis postibus et novo  
sublime ritu moliar atrium ?  
    cur valle permutem Sabina  
    divitias operosiores ?

98.

### *EIUSDEM.*

TYRRHENA regum progenies, tibi  
non ante verso lene merum cado  
    cum flore, Maecenas, rosarum et  
    pressa tuis balanus capillis  
iam dudum apud mest : eripe te morae,  
ne semper udum Tibur et Aefulae  
    declive contempleris arvom et  
    Telegoni iuga parricidae ;  
fastidiosam desere copiam et  
molem propinquam nubibus arduis ;  
    omite mirari beatæ  
    fumum et opes strepitumque Romae.  
plerumque gratae divitibus vices  
mundaeque parvo sub lare pauperum  
    cenæ sine aulaeis et ostro  
    sollicitam explicuere frontem.  
iam clarus occultum Andromedæ pater  
ostendit ignem, iam Procyon furit



## DE SORTE HUMANA.

et stella vesani Leonis,  
sole dies referente siccos ;  
iam pastor umbras cum grege languido  
rivomque fessus quaerit et horridi  
dumeta Silvani, caretque  
ripa vagis taciturna ventis.  
tu civitatem quis deceat status  
curas et urbi sollicitus times  
quid Seres et regnata Cyro  
Bactra parent Tanaisque discors  
prudens futuri temporis exitum  
caliginosa nocte premit deus  
ridetque, si mortalis ultra  
fas trepidat. quod adest memento  
componere aequos ; cetera fluminis  
ritu feruntur, nunc medio alveo  
cum pace delabentis Etruscum  
in mare, nunc lapides adesos  
stirpisque raptas et pecus et domos  
volventis una, non sine montium  
clamore vicinaeque silvae,  
cum fera diluvies quietos  
inritat amnis. ille potens sui  
laetusque deget, cui licet in diem  
dixisse ‘ vixi : cras vel atra  
nube polum pater occupato,  
vel sole puro ; non tamen inritum,  
quodcumque retrost, efficiet neque  
diffinget infectumque reddet  
quod fugiens semel hora vexit.’  
Fortuna saevo laeta negotio et  
ludum insolentem ludere pertinax  
transmutat incertos honores,

## DE SUMMA RERUM.

nunc mihi, nunc alii benigna.  
laudo manentem ; si celeris quatit  
pinnas, resigno quae dedit et mea  
virtute me involvo probamque  
pauperiem sine dote quaero.  
non est meum, si mugiat *Africis*  
malus procellis, ad miseras preces  
decurrere et votis pacisci,  
ne *Cypriae Tyriaeque* merces  
addant avaro divitias mari :  
tunc me biremis praesidio scaphae  
tutum per *Aegaeos* tumultus  
aura feret geminusque *Pollux*.

99.

### *BOETHII.*

QUOD mundus stabili fide  
concordes variat vices ;  
quod pugnancia semina  
foedus perpetuom tenent ;  
quod *Phoebus* roseum diem  
curru provehit aureo,  
ut quas duxerit *Hesperus*  
*Phoebe* noctibus imperet,  
ut fluctus avidum mare  
certo fine coerceat,  
ne terris liceat vagis  
latos tundere terminos ;  
hanc rerum seriem ligat,  
terras ac pelagus regens,  
et caelo imperitans amor.  
hic si frena remiserit,

## DE SUMMA RERUM.

quicquid nunc amat invicem,  
bellum continuo geret ;  
et quam nunc socia fide  
pulcris motibus incitant,  
certent solvere machinam.  
hic sancto populos quoque  
iunctos foedere continet :  
hic et coniugii sacrum  
castis nectit amoribus :  
hic fidis etiam sua  
dictat iura sodalibus.  
o felix hominum genus,  
si vestros animos amor,  
quo caelum regitur, regat !

100.

### *SENECAE.*

OMNIA tempus edax depascitur, omnia carpit,  
omnia sede movet, nil sinit esse diu.  
flumina deficiunt, profugum mare litora siccant,  
subsidunt montes et iuga celsa ruunt.  
quid tam parva loquor ? moles pulcerrima caeli  
ardebit flammis tota repente suis.  
omnia mors poscit. lex est, non poena, perire :  
hic aliquo mundus tempore nullus erit.


FINIS.













LL.C  
M153h

Mackail, John William (comp.)

The hundred best poems (lyrical) in the Latin  
language.

83734

**University of Toronto  
Library**

**DO NOT  
REMOVE  
THE  
CARD  
FROM  
THIS  
POCKET**

Acme Library Card Pocket  
Under Pat. "Ref. Index File"  
Made by LIBRARY BUREAU

